PHILIPPI VVANNEMAKERI BELGAE DOMINICANI TRIUMPHUS...

Filips Wannemaecker, Giovanni Battista Coccini




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
21 L
16

PHILIPPI VVANNEMAKERI
BELGAE DOMINICANI,

TRIVMPHVS
LITTERATORVM,

In quo

BORROMEIANÆ VIRTVTIS


imago.



MEDIOLANI,

Apud Hær. Pacifici Pontij, & Ioan. Baptistam Piccaleum Impressores Archiep.

M. D. CXI.



Nos Frater Seraphinus Siccus Papiẽsis Sac. Theol. Professor, ac in Romana Curia totius Præd. Ordinis Procurator & Vicarius Generalis.

Muneris nostri ratio postulat, ut nostri Ordinis Professorum lucubrationes, quæ studiosis nō modicam utilitatem conferre possunt, ut in lucem prodeant, permittamus. Cùm itaque Venerandus P. F. PHILIPPVS VVANNEMAKERVS, nostræ Provintiæ Flandriæ opus, cui titulus est: TRIVMPHVS LITTERATORVM; quod à duobus Sac. Theol. Lectoribus ex speciali commissione Reverẽdissimi Patris Nostri Generalis diligenter & accuratè recognitum fuerit, nihil in eo deprehenderint quod Sanctæ Orthodoxæ Fidei dissonum, vel bonis moribus repugnans sit; ac omnia denique servata fuerint, quæ secundum Decretum Sacri Concilii Tridentini, de editione librorum, & eorum usu seruari debuerant; ac juxta Nostrarum Constitutionum & Ordinationum dispensationem: licentiam concedimus, ut typis committatur; In Nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Datum Romæ die 29. Ianuarii 1611.


Frater Seraphinus qui supra.



Hic locus † sigilli

Frater Lucas Castellinus
Magister & socius.

 3



Imprimatur.


Frater Michael Seghitius à Lauda Inquiſitor Generalis Mediolani.

Aloyſius Boſſius Canonicus Ordinarius Theologus pro Illuſtriſs. Cardinali Archiepiſcopo.

Vidit Saccus pro Excellentiſs. Senatu.



ILLVSTRISSIMO
COMITI
VITALIANO
VICECOMITI
BORROMÆO.



VM anxius circumſpicerem, cuinā potiſſimùm TRIVMPHVM hūc LITTERATORVM inſcriberem, & tamquàm Æterni Adfectus mei in Illuſtriſſimum Cardinalē FREDERICVM BORROMÆVM, ſpontaneum obſidem tutò committerem, ILLVSTRIS-

SIME COMES; Tu unus mihi repertus es Indice ac Iudice Virtute Doctrinaque, cui hanc ob præproperum ſuum ortum tenerrimam ſubolẽ meritò crederem. Enimverò ſi penſiculatè conſidero: cuinam abs te alteri debebantur hæ Primitiæ? Titulum vide: TRIVMPHVS LITTERATORVM eſt. Aliine aptiùs quàm tibi, cui per ſibi invicem implexas Lauros Majorum interrupta ſeries proceſſit ab extrema pænè mortalium memoria? Familiam tuam reſpice; totidem ferè clariſſimos Triumphos reperies, quot Majores. Triumphos numera, totidem tibi Majores operieris. An quemquam fallit VICECOMITVM Bellica Gloria tot optimis decantata ingeniis? aut ignarus ſit rerum Italicarum, qui neſciat; aut malignus qui neſcire ſe fateatur? Sed

quo-

quorum hic Triumphus? LITTERATORVM. quàm hoc ſolo nomine tibi ſacer, qui Litteratorum omnium à puero Fautor extitiſti: quorũ Albo adſcribi mereris Optimorum Virorum judicio. Quid ego hic ingeniosè commemorem Suadæ tuæ divinũ nectar? quid totius Philoſophiæ accuratiſſimã cognitionem? In te profectò, in te uno liberaliſſima Mater Natura potentiæ ſuæ dedit luculentiſſimum exemplum, cùm Virtutis ac Doctrinæ fœcunda ſemina tibi inſereret, quæ ſubito ac incredibili incremento in tantam ſcientiarum altitudinem excreverunt, ut priùs inter Sapientiæ ſacerrimos Myſtas, quàm inter Viros cenſearis. ut priùs toga conveniat, quàm prætexta depoſita eſt. ut priùs ad abdita Phœbi penetralia perveneris, quàm alii abjiciunt pueri-

tiæ

tiæ ſuæ crepundia. O præmaturas ſed verè maturas tamen rerum vices. Infantiam tuam occupavit Pueritia, Pueritiam Iuventa, Iuventam Virilitas. & numquàm Infans fuiſti; quia virilis animi inſignia conſecutus es, cùm naturæ communis ordo levitatem iuventæ tibi præſcriberet. Hanc repuliſti, illam amplexus es; quam etiamnũ in juvenili corpore pulcherrimis adornatam artibus, quam ſcientiarum ſucco exuberantem læti colimus & admiramur. Sed indulge ut paullùm à te ad tua digrediar. Quid ille Divinus LEINATI FONS ad perpetuam poſſeſſionem relictus tibi fratrique ab Optimo Parente? Te herclè eum eſſe qui Apollinis familiam jugiter favore & amore irrigares. Neſcio enim qua arcana lege futuri ſplendoris evidentiſſima ſigna

in

in Clarissimis sæpè familiis conspiciantur: quorũ tum demum ratio manifesta fit mortalibus, cùm explentur. Dubitare potuere Parentes nostri, quid hic in stirpe tua ad miraculum & stuporẽ omniũ sibi vellet fons amœnissimus: Nos admirari desinimus, quia ex illa te ortũ adspicimus, cui ob amorem Phębi Musarumq; hæc sacra Scaturigo conveniat. Hæ caussæ iure meritò me impulerãt, ILLVSTRISSIME COMES, nisi quòd & altera sese adjunxit, ac nescio profectò an duabus hisce præponderet. In hoc meo Triumpho, imò ut veriùs loquar, hunc meum Triumphum triũphat ILLVSTRISS. FREDERICVS CARDINALIS BORROMÆVS Litterarum ac Litteratorum omnium Liberalissimus ac Prudentissimus Parens. Et quid nisi ejusdem

dem

dem deſcriptio Digniſſimo ſuo Adfini adſcribatur, ne tam præclara inſignia extra familiam abire videantur? Vt Nobiliſſimi Principis laudes, apud Nobiliſſimum; ut Piiſſimi Præſulis encomia, apud Modeſtiſſimum, tamquàm in depoſito tutò conſerventur? Ab Imperatore igitur ſuo non abibit hic Triumphus, cùm te adibit: qui illum Virtute ac doctrina ſequeris; ut ab eo cui ſanguine junctus es, litterariis quoque laudibus non ſepareris. Ceterum, ILLVSTRISSIME COMES, ſuſcipe hoc meum munuſculum quo ſoles talia vultu & animo, eo etiam æquiore, quòd te argumenti cauſſa Tutoré requirere videatur. An me fallunt animi mei præſagia? Erunt, erunt qui ſacrilegum etiã infligent dentem huic pio conatui. Sacrilegum dico; non q; Libellum hunc

ſan-

ſanctitatis nomine commendem; ſed quòd eo Doctrinę & Pietatis Cariſſima & Clariſſima capita recēſeam, quæ ſacrilegii inſtar ego judico maligna virulentia contaminare. Scatet ſeculum hoc Invidorum multitudine, qui cùm rodant omnia ex profeſſo, de ſuo nihil produ͠t unquam. Integra luſtra parturiunt montes, & ne ridiculum quidem murem pariunt. Huic ego hominum generi indictum velim, ut ſua ſubmittant judicio alieno, priuſquã ſuo aliena lancinant. Sed vetus hic morbus, ad cujus remediũ etiam Doctiſſimi alucinantur. Ad te redeo, ILLVSTRISS. COMES, imò à te ad me redeo & animi mei oblato relictoq; obſequio, eſſe deſidero

Æternùm tuus Cliens

FRATER PHILIPPVS VVANNEMAKERVS Dominicanus Gandenſis.

SINCERE LECTOR:

TE hic judicẽ & censorem postulo sinceræ meæ mẽtis in juvenili hac scriptione. Lædere quemquam nec volui, nec, scio, fas fuisset: sed hoc unũ probavi, quid ingenio aliquando possem. Imò vin' veriùs planiusq́ mentem meam expromã? Adfectum meum in Magnos Viros & simul Cultum in Maximum Antistitem Illustrissimum Cardinalem declarare conatus fui, & immensas ejus Virtutes, velo quodam exiguarum laudũ adũbravi. Nã illa tantùm quæ palàm sunt & in omnium ore ad absentes mitto. Spero tamen gratiora hæc pauca futura, quàm si imparem viribus meis suarum laudum molem scribere adtentassem. Non me fallet animus. Vt enim

Ovid. Trist. — fusco taurorum sanguine centum;
Sic capitur minimo thuris honore Deus.

Majora alii conabuntur, & feliciori atque uberiori ingenio, & quanto decet ore tanti Principis laudes canent. Itaque si quæ præter hujus Antistitis & aliorum CC. VV. en-

VV. Encomia acerbiora votis videbũtur pro fictis habeto, & materiæ caussa adjuncta. Crede equidem DIVM SOMNVM hic mihi inspirasse,

———————— αὐδὴν
Θείην, ὥστε κλύοιμι τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα: Hesiod.

———— vocem
Divinam ità ut audirem tã futura, quàm
præterita,

vel quæ numquam facta, nec futura. Serio hæc moneo. Novi enim optimè

—— ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα: Idem.
—— mẽdacia multa dicere veris similia;

& subinde fore quosdã fortè qui de se aliisve scripta arbitrabuntur. Sed

Tam felix utinam, quàm pectore candidus essem. Ovid. Pont.
Extat adhuc nemo saucius ore meo.

Imò quam alienum hoc à mente mea, viderunt hic qui paginas plurimas in hoc opere ob hanc ipsam caussam deletas doluere. Ego namque opusculum hoc ingenui animi mei testem volui. Alia quoque concepi, quãcitiùs judicio tuo submittenda. Inter illa, Libellus, cui titulus: ASSERTIO

LIP-

* In Monitis & exemplis Politicis. lib. 1. cap. 3. De Superstitione.

* *LIPSIANA* De Venerabili *P. HIERONYMO SAVONOROLA* Dominicano. *Deinde, ADMIRANDA MATRIS-VIRGINIS SACRATISSIMI ROSARII in quinque aut sex libros distinguenda. Insuper* CONSOLATIONEM *quandam confectam habeo. Fave iis, & si minus desiderio tuo satisfactum, ignosce.*

Idem Trist. Nam veniam pro laude peto, laudatus abundè
Non fastiditus si tibi, LECTOR, ero.

Tu mihi salvus sis, & post ista, alia, imò etiam graviora cum ætate, si fata permiserint, exspecta.





PHILIPPI VVANNEMAKERI
BELGÆ DOMINICANI,
TRIVMPHVS
LITTERATORVM
In quo
BORROMEIANAE VIRTVTIS
imago.





NVLLAM obvenire majorem adoleſcentibus cõmendationem ad gloriã, à majoribus accepimus: quàm ſi, calcatis vitijs, ab ineunte ætate, ad Virtutem ſeſe conferant & Sapientiam; eoſque in dies frequentent, qui, iis inſtructi, magni apud magnos habentur. Eorum adſiduam frequentationem, & frequentem converſationem maximè conducere: ſi modò non



Doctorem solùm, sed Ductorē nacti fuerint. Rectè quippe discitur à bono, qui vitâ moribúsque non secus ac verbis ad Virtutum Sapiētiæque limina suos transfert. Verba illius tamquàm stimuli sunt: quæ, mirum quantùm proficiant, si minutatim irrepant animo. Nam gustare parum est: potare & dimittere opus, si voluerimus illorum vim vigoremque sentire. Expergisci nos cogent & immortale nobis desiderium inserent Virtutis, imò nos inserent eorum numero, quos sequimur & admiramur. Hoc namque optimū in se generosus & magnus habet animus, quòd facilè excitetur ad magna. Natura dociles nos edidit, & quamquàm rationem dederit imperfectam, talem tamen quæ perfici possit. Nam Bona Mens omnibus patet; nec rejicit quemquam, nec eligit; sed lucet omnibus. Solus ut summa adtingamus, sufficit animus; cui nihil unquam prohibuit, ex quacumque conditione, etiam supra fortunam surgere. Verum enim verò non quocumque animo tales adeundi. Propositum quoque

que

que habeamus neceſſe eſt cottidiè aliquid boni auferre, quo oblectemur, & ad altiora excitemur. Quid aio excitemur? Eæ ſunt Virtutis & Sapientiæ vires, ut non ſolum cupidos amanteſque: ſed etiã converſantes iuvent. Qui aurum in manus ſumpſerit & diutiùs retinuerit, licet non ad hoc ſumpſerit, notã ſecum feret. Qui roſas aut odoriferos flores multo tẽpore retinuerit aut inter veſtimenta repoſuerit, iis abjectis odorẽ retinebit. Sic qui apud Virtutis & Sapientiæ Doctores Ductoreſque fuerit, hauſerit aliquid neceſſe eſt, quod ornet etiam negligentem. Animaduertite quid dicam: negligentem. Quid ità? Nonne videmus, quoſdam plurimis annis tales frequentaſſe, & ne notã eorum retinuiſſe? Videmus, vidimus, videbimus. Horum duo genera conſtituo. Quidam, impii, ſcelerati, maledici, ad injuriam inſtructi; non tam negligentes, quàm contemnentes; turbidi, cruce digni. Hos optimè dicemus, *πεφυκέναι ἐπὶ τῷ μήτε αὐτοὺς ἔχειν ἡσυχίαν, μήτε τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ἐᾶν: in id natos, ut ne-*

que ipsi quiescant, neque alios sinant. Nec est ut ab his caveamus, quod sapientissimus * Atheniensis monuit; *Ne lingua duplex ex atra sonet mente*: si nihil sanctius habeant, quàm *aliud clausum* (Sallustii verbis utor in Catilinam) *in pectore, aliud in lingua promptum, magisq́ vultum quàm ingenium bonum habere*. Profectò brutis animalibus similes sunt, quos natura hominum figuris approximavit. Illa dum blandiuntur odium gerunt, & cùm aversos vident in illos irruunt, eosq́ue mordent ac lædunt. Non aliter hi blando & adridente sermone, candidas illas animas adeunt, ut lacerent postmodùm & turbent. Alii verò melioris genii & ingenii. Nam quemadmodùm ignari homines in theatrum Comœdiæ ducuntur: tales frequentant, ut auditum seu visum delectent oratione vel voce. Non id student ut aliqua illîc vitia deponant, ut meliorem vitæ legem suscipiãt, ad quam mores componant: Verùm ut oblectamento aurium, & oculorum perfruantur. Cedite, fugite, ô Troiani, hos Achilles; sed

* Solonem intelligo.

am-

ambitione, ſed opinione, non factis. Fugite dico, fugite ſedulò ſingulos & ad diviniora adſpirate, melioremque mentem induite. nec delectet converſatio tãtùm, ſed proſit. Quæ, ſi frequens fuerit, mirum quantùm menti, quantùm vitæ, quãtùm honeſtati addet; à vitiis vi præceptorum revocando. Mirantibus quibuſdam Themiſtoclem adoleſcentem feroci mutabilique ingenio maturiori ætate moribus immutatum: Quis, inquit ipſe, tã ignarus ut neſciat indomitos pullos in optimos equos evadere, ſi qui diſciplinam adhibeãt, rectamque inſtitutionem? Præclarè mehercule. Sed quî hæc adquirenda, niſi bonorum ſapientiumque virorũ converſatione? Optimè id noſter Seneca. *Nulla res magis honeſta induit, dubioſque & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quàm bonorum virorum converſatio.* Dicam; Quàm ſapientium virorum converſatio. de iis enim loquitur. Quæ ſi freqnens fuerit: opinionem adferet populo iis fore vos ſimiles, quos ad imitandũ videmini delegiſſe. Antiqui hoc ſua- Epiſto. xciv.

dent,imò persuadent. Quid enim Seneca toto ferè opere aliud inculcat? Quid Cicero aliud filio prædicat? Quid aliud Plato, vel quid aliud apud Platonem Socrates suos monet? In immensum opus excresceret, si repeterem quæ tam sæpè varieque à veteribus prodita. In vno P. Rutilio sisto. An non hujus adolescentiã ad famæ, innocentiæ, & juris scientiæ opinionem P.Mutii commendasse domũ, memoriæ traditum est? Sed neminem moveat, quod non semper præsens illos usurpare liceat. Equidẽ cum illis absens etiã conversare poterit, quoties voluerit, quãdiu voluerit. Animo namque tales possidendi. Ille numquàm abest. Quemcumque voluerit, cottidiè videt, cottidiè adloquitur, cum illo conversatur, cùm illo ambulat, illo fruitur. Nec minori fortè utilitate aut voluptate, quàm si præsens esset. Quis negabit? Imagines absentium amicorum jucundæ dicuntur, quòd memoriam renouent, & desiderium absentiæ falso atque inani solatio levent: quantò ergò jucundiores erũt cogitatus,
qui

qui animo tamquàm verâ amici præsentiâ frui fingunt? Denique ut præsentes ad virtutem excitamur; ità absentiũ non minus cogitatus à vitiis sæpiùs revocant, ad altiora alliciunt.

Cùm ego adolescentior essem, & prætextâ depositâ, litteris me totum tradidissem: hæc animò; hæc mente semper agitabam, atque in hanc cupidinem crescebam, ut maximorum virorum ingenia degustare possem. Sed ad meliorem mẽtem. ut Virtutem Sapientiamque haurirem, quam docebant & profitebantur. Itaque amore horum accensus animus, quem facili fomite excitabant & quem constanti ac vivaci flamâ alebam: sedulò illos adire curavi, sedulò frequentare, etiã apud eosdem me in amorem ducere. Non quod tantam me Virtutem sperabam consecuturum aut Sapientiam; sed minimum saltem fructum colligerem ex fœcundis & facundis illis agris. Hoc etiam volvebã; non nobis tantùm natos, sed aliis, si fieri posset, prodesse nos debere. Sciebam quosdam indigere ope alienâ; non itu-

ros, si nemo præcesserit, benè autem secuturos. Animus tamen nimio desiderio Eruditionis flagrans ac Virtutis nõ cessabat ad illa omni conatu tendere, ad quæ & viam præpararent & confirmarent mẽtem. Quantùm pro ingenii imbecillitate pauco tempore profecerim: aliis judicium esto. Inter plurimos verò quos ferax Belgium alit, colebã quasi SAPIENTIAE PRINCIPEM ET VIRTVTVM CL. V. * ERYCIVM PVTEANVM,

* CL. I. Lipsii successor Antiquitatisque ac Eloquentiæ Regius Lovanii professor.

Virg Aenei.

—— magnam cui mentem animùmque
Delius inspirat vates,

In Floridis.

Nec ulli meliùs justiusve tribuetur quod olim Appuleius de Strabone adfirmavit; *Vir omnium qui unquam fuere, aut sunt, aut etiam erunt: inter optimos clarissimus, inter clarissimos optimus, inter vtrosque doctissimus.* Neque ipse in luce tantùm atque oculis civium magnus: sed intus domique præstantior. Domus eius, tamquàm Virtutum aula; Vita, quasi perfectissima; quam exemplar proponebat omnibus, CONSENTANEAM VER-

BIS

BIS AC DOCTRINAE. Nihil privatim ex illo audiebatur præter honestũ, laudabile; nihil cernebatur præter imitabile; nihil nisi sanctum, perfectumque. Modestia summa, innocentia maxima. Nullæ detractiones, nulla dissidia aut dissensiones. Scipionem cogitate quem Sapientissimus Lælius apud Ciceronem tam amicè Laudat. Sed ut summatim plurima complectar; ità vivebat tamquàm cottidiè auribus suis insonaret, illa Senecæ laudata vox: *Non aliter vivas in solitudine, aliter in foro*. Iam qui sermo, quæ eloquentia, quæ sapientia in illo qui sapientissimus vel * Apollinis oraculo est declaratus? * Ἀερισποτᾶται, & divinitatem quã è supernis haurit, in nos effundit. Non aliter alii eum æstimant, & ego eum habeo inter viuentes, quàm Homerus Tiresiam inter mortuos refert. Videlicet qui apud inferos solus saperet, ceteri verò ut umbræ volitarent. Sed videndum hoc loco ne quem ob benefacta diligi volumus: ejus laudem atque gloriam (cui maximè invideri solet) nimis efferre videamur.

In libro De Amicitia.

De Morib⁹.

* ad seq. refer.

* Per aerẽ volat.

mur. Igitur ſeriò illum adſiduè conveniebam, nihil prætermittendo quod ad animoſum diſcipulum pertineret. Nullas delicias aut voluptates cenſebam extra illum, cui ſi placerem ſatis profeciſſe me credebam. Non ſecus quàm ſi Demetrii illius mentem virtutemq́ue æmularer, qui Zenonem pro multis hominum millibus habebat, ad cujus judicium profiteretur, & quem unum ſuarum actionũ velut theatrum inſpiceret. Nec minus etiam Diogenis Cynici exemplo incitabar, ne deſiſterem. Ille enim Athenas, ad Antiſthenem profectus, & ab eodem, cum nullum diſcipulum admitteret, ſæpiùs repulſus, non deſtitit hærere: adeò ut quandoque ei baculum intentanti ultrò ſe ſubjiceret, ſimilem ſubjungens vocem; Cæde ſi vis, nihil tam durum reperies quo me abs te abigas. ô præclara verba! Nam ut producam pro hâc re præclaram Senecæ ſententiam; *Occurſus me*
Epiſto. xcIV. *herculè ipſe ſapientium iuvat: & eſt aliquid quod ex magno viro vel tacente proficias. nec tibi facilè dixerim quemadmodùm*
pro-

prosit, sicut illud intelligam profuisse. Verè ità esse experientiam feci & fructum tuli. Si autem non dabatur frui præsentiâ: absens animo revolvebam quæ exceperam. quòd non minus gaudium erat aut solamen. Vehementiùs id à me factum, cùm florentissimam beatissimamque Italiam peterem, & recens delicias has deseruissem. Ibi tempus & otium iis insumebam. imò (juvat dicere) singulos sæpè dies. Suavissimum enim erat iis immorari, nec facilè divelli poteram, nisi cũ aliquo fructu. neque carentia minuebat adfectum, sed alebat. Tantùm immortalis tãti viri aliorumque optimorum doctissimorumque memoria sempiternùm meæ inhærebat mẽti, & hærebit (ità spero) quamdiu iste animus. Verùm ex cõtinuis adsiduisque iis cogitationibus nonnumquam accidit ut eadem, vel similia, nocturnis objicerentur oculis. Etenim lucis delicias, Aristotele scribente, nox excipit; & quæ animus vigilans gesserit, cùm somnus obrepit, velut in opacâ nebulâ re præsentat. Politè hoc ipsũ & ad rẽ Claud.

Om-

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno
Tempore nocturno reddit amica quies.
Venator defessa thoro cùm membra reponit
Mens tamẽ ad sylvas & sua lustra redit.
Iudicibus lites, aurigæ somnia currus.
Vanaq́; nocturnis meta cavetur equis.
Gaudet amans furto, permutat nauita merces:
Et vigil elapsas quærit avarus opes.
Blandaq́; largitur frustra sitientibus ægris
Irriguus gelido pocula fonte sopor.
Me quoque Musarum studium sub nocte silenti
Artibus adsiduis sollicitare solet.
Namque Poli media stellantis in arce videbar,
Ante pedes summi carmina ferre Iovis.

Mihi verò frequentiùs cõtigerunt hæc, posteaquàm illis in Italiâ adfueram, qui laudem, nomen, & famam, litterarum cultu adquisierant. Cum iis plurimos sermones feceram de perfectissimis Belgiæ viris, eò quòd narratione istâ delectarentur. Maximè cùm Illustrissimum Musarumq́ue Litterarumq́ue Cultorem, Antistitem,

ſtitem, Patronum ac Mœcenatem S. R. E. Cardinalē * FREDERICVM BORROMAEIVM ſalutaſſem. Sūme Deus! Quem virum? Divinæ Mentis non ingenii humani eſt, rarum, rari & incomparabilis viri animum, pro dignitate referre. Tibi, ò PHOEBE, curæ ſit, qui quantas curas pro vobis ſuſceperit, numquàm ex merito manifeſtabimus. Audebo tamen dicere; Nullum majus donum, nullū melius ab Æterno Deo mortalibus donandum ſupra hanc animam,

* Tit. S. Mariæ Angelorum Cardinalis, & Mediolanenſiū Archiepiſc.

— *quamvis redeant in aurum*
Tempora priſcum.

Horat. Carm.

Perambulabit aſtra ſidus illud aureum, ejuſque nomē ducet Vterque Orbis, quà ſol habitabiles inluſtrat oras. Imò nulla ætas, nullum ævum memoriam ejus delebit; ſed

Illum aget penna haut metuente ſolvi
Fama ſuperſtes.

Ibidem.

Vt ad ea autem redeam, unde me abduxit hujus divini Principis recordatio: firmiora & majora ſomnia habui pòſt meum ab illo diſceſſum. Vnum in lucem pro-

proferre est animus quod occurrit eâdem nocte quâ Romam veni: firmum, evidēs, mirum. Quid mirum? quia vt Comicus ille;

Plaut. Rud. *Miris modis Di ludos faciunt hominibus,*
Mirisq́; exemplis somnia in somnis danūt.

Illud, inquam, nunc proferam adhuc recens sive per cornu sive per ebur emerserit. Vtile sit faustumque! Apagè interpretes, apagè Catones. Ad Amphiaraum qui perrexerit, & purgatus mactati arietis pellibus stratis incubuerit: Deū testor! injuriam mihi fieri, vindictamq; exigam. imò hi exigent, quos Virtus & Eruditio tangunt. Somnium narro, vel si vultis, Insomnium narro. Favete boni, favete docti. atque etiam vtrosque si nactus fuero: legite, judicate.

SOL, decurso diei spatio, in Regiam properabat, quando sanctissimam Vrbiū Dominam ingredior. Nisi fallor: eodem tempore quo quondam Apollo in fugam conversus. Adii nostros supra Mineruam agentes. plura enim ibidem loca ab illis incoluntur. Ibi nonnihil ab itineris de

fati-

fatigatione curatus, cœnatum perrexi.
Postquàm exempta fames epulis, mensaq́; remota. Virg Aenei.

Vario sermone, præcipuè de litteris & qui in iis apud Belgas eminerent conloquia produximus in multã noctem. Ego etiam plurimis verbis testatus magnificẽtiam Magnifici & Illustrissimi Cardinalis Borromæi ac in iis promovendis curam; nec aliud ferè vociferabar quàm TRIVMPHVM TRIVMPHVM æternùm tanto Principi deberi à Musarum alumnis.

Iamque quiescebant voces hominumq́;, canumq́;, Ouid Trist.
Lunaq́; nocturnos alta regebat equos;

Cùm cubitum concedo, & corpus optatæ quieti committo. Primùm præ defatigatione aliquantisper obdormire cœpi, dein secundâ vigiliâ paullùm connivere, mente animoque defixus in illis quæ antè tractaveram. Tandem pigris Bootis frigida sideribus dubiis sarrata circumagentibus,

En levis ætheriis delapsus SOMNVS ab astris

Ipse

Virg. Aene. *Ipse* DEVS *ramum lethæo rore madentẽ*
Viq̃; soporatũ Stygia, super utraque quassat
Tempora.

Nec mora. Proficisci videor, & *Dædaleo ocyor Icaro* feror per ignotas Noctis Regiones. Fingebam verò Perusiam me petere, quam adire in votis habueram, ut doctissimum illud pectus CL. V. MARC. ANT. BONCIARII amplecterer, vultum oculis adfectumque simul usurparem, quem olim aureus ille Phœnix CL. IVSTVS LIPSIVS noster, Italiæ Homerum nominaverat, cultu & amore. Eò autem magis desiderabã, quòd me per elegantes, familiares doctasque litteras invitasset. Igitur huc mentẽ habebam, ità tamẽ ut postquàm progressus, ex mente meâ ista mens recederet. Tãdem maximâ animi velocitate perniciter terras plurimas pervolans: videor Dio Somno volente ire magnis itineribus

Idẽ Georg. *Saxa per & scopulos & depressas convalles,*

In Asino aureo. Et ut Appuleii verbis dicam: Per *ardua montium, & lubrica vallium, & roscida cespitum, & glebosa camporum*, ubi concava

cava saxa aquarum è montium summitate ruentium repulsu, tãtum clamorẽ strepitumq; edebant: qualẽ nec pius Æneas, nec Sibylla ad Acherõtis Regna, dum inferorum Iudex justissimus Minos urnam moveret, sensisse crederem. Nudi campi, absque herbis, absque fronde, absque arbore. Nulla mala hîc, quæ Acõtius devolveret ad Cidippæ suæ pedes;

Sed jacet aggeribus niveis informis, & alto Virg. Geor.
Terra gelu latè septemque adsurgit in ulnas,
Semper hiems, semper spirantes frigora Cauri.

Defecissem pæne, (nam membra quati jã ac tremere) ni Bonus Genius adfuisset, à quo in loca amœna & lęta per aëreas lõgissimas sedes delatus, ex asperâ & prolixâ viâ sine labore & tędio evolo, & inter dulcè murmurãtes rivulos sistor. Circumducens itaque oculos, conspicio civitatẽ magnam, præclaram, altis structuris ædificiisque ornatam. Stupor me invasit & ingemiscens;

Plaut. Amphit. *Non edepòl*, aio, *nunc ubi terrarum sim*
scio, si quis roget.

Non in Italiâ credo:

Idem Mostell. *Sed etiam in terras solas, orasq́ ultimas*
Sum circumvectus.

Non Mercurii omnes reduxerint me in viam. Prata repperi variis florum coloribus quasi depicta, quos pueri & puellæ studiosè legebant. Ad dextrum verò latus, sub ipsis collis radicibus, horti supra naturam, rivo circumcincti & muro. Hic altissimus miroque artificio erectus, alter immensæ profunditatis. Locus verò tantæ voluptatis, ut nullus esset

Virg. Bucol. ——— *quo se plus jactet Apollo.*

In eo magna virorum multitudo; quòd admirationem adferebat istâ horâ. Nam hi horti, quales non ἀδώνιδος κῆποι; non irritabant famam, ut apparebat, sed extinguebant: Territus igitur hâc novitate, versus civitatem propero. Ibi per viã plures mihi obviam, quorum vultum agnoscebam, nemo tamen me aut verbo aut gestu sollicitabat. Ego quosdam cõpello, & estne, inquam, Vmbriæ hæc ci-

vitas

vitas? Illi abnuere, ſermonem meum reſpuere, & admirari; me illa inquitere.
Nec quidquam, niſi, Non eſt, ſciunt mi reſpondere, quot rogo. Plaut. Perſ.

Intereà civitati delectabili viâ appropinquo latè quam arbores ramique ab utraque parte defendebant à ſolis æſtu. Ad portam pervenio, quam ut curiosè intueor, tali ſalutor inſcriptione:

PVBLICVM HVNC ADFECTVM:

Litterarum Cultor, Litterarum Antistes,

FREDERICE BORROMÆE,

S. R. E. CARD. ET MEDIOL. ARCHIEP.

AMOR excitavit, ADMIRATIO auxit.

AMOR, quem MVSAE (sine fuco) excitarunt,

Quas cum omnium Admiratione colis.

ADMIRATIO: Quam (sine adulatione) auxerunt,

Quas cum omnium Amore curas.

TRIVM-

TRIVMPHVM TRIVMPHA;

Meritis imparem, Adfectu parem.

Hoc ſolo nos contenti,

Quòd nemo unquam pro Dignitate ſatisfaciat

Eruditioni, Virtutibus, Meritiſque tuis.

Perge modò, ſuccede

Maxime Princeps, Maximam Heſperiæ Vrbem,

Et Haberi, & Dici patiaris;

SECVLI AMOR, MVSARVM AMOR.



Nondum plenè perlegeram; Et, ô Æterne sol. exclamo: Vbinam sum? quod hûc me fatum duxit?

Ouid. Pont. *Aut ubi decipior melioris imagine somni?*

Ehem! mira prorsùs ac rara res.

Hor. Carm. ——— *An me ludit amabilis*
Insania?

An hæc Insubria? an felicissimum Mediolanum cui inter immortalia degeneris posteritatis monumenta * SANCTISSIMVS CAROLVS BORROMAEVS tamquàm Phœnix è præteritorum temporũ fauillis alluxit? Hâc aut huiuscemodi tacitâ voce (nam verbis locus non erat) penes me muginabar. Mox paullatim processi, non tantùm admiratus, quãtùm lætabar Triumphum tanto principi præparatum. Passim autem ibidem per ora populi jactabantur quæ hesternâ die gesta fuerant. Ingredior ciuitatem, quã reperio ornatam magno apparatu, magnâ pompâ. Ornatam dico? Ornari veriùs; nam & jam pro se quisq; id quod potest,

* Illustriss. Frederici Cardinalis Patruelis, Diuorũ Catalogo à PAVLO V Põt. Max adscriptus II. Nouembr. An. ∞. DC.X.

Idẽ Carm. *Cuncta festinat manus. huc & illuc*
Cursitant, mistæ pueris puellæ.

Tan-

Tantum erat omnium studium, tanta cura, tanta pietas piæ plebis, nec minimi à curâ vacabant; sed omnibus idem animus, & lætitiæ pleni cuncti favebant. ità ut non humano ingenio, sed Delphico oraculo viderentur instincti. Fores, domorum facies, & palatia, velabant myrti, serta & quæ, ò PHOEBE, tua *Munera sunt, Lauri & suave-rubens hyacinthus.* Virg. Bucol

Ego mente omnia scrupulosiùs explorando huc illuc hiantes volvebam oculos; *Nec vidisse semel satis est: juvat usque morari.* Idem Aene.

Detinebat enim me suavissimus odor, quem miscebant: Laurus, Myrtus, hyacinthus. Sed cum singula cruciabili desiderio inspicerem, ordo me illorum mirificè oblectabat. Enimverò quamvis cuncta superbissimo sumptu apparebant, erāt tamen quæ eminerent. Inter illa, ARCVS TRIVMPHALES tantâ excellebant magnificentiâ, quantâ numquàm erexisse credidissem Antiquos Romanos Divis suis Cæsaribus. Ornati variis pi-

ƈturis, ſtatuis, imaginibus, quas Apellæa manus non emendaſſet. Pleni elogiis, pleni titulis, pleni adfectu. Denique tanta omnium rerum majeſtas; ut

Si vox infragilis, pectus mihi firmius eſſet,
Pluraq; cum linguis pluribus, ora forent:
Ouid. Triſt. *Non tamen iccirco, complecterer omnia verbis,*
Materia vires exuperante meas.

Ex plurimis autem (ſi ritè viſa recordor) quædam legi in hunc modum.

AETER-

AETERNVM
Tranquillè, beatè, securè
vive, vire, vige
Maxime Antistes
FREDERICE BORROMÆE;
Quòd boni omnes, quòd docti omnes
Æternùm volunt, Æternùm vovent.
Qui te:
Aureum ævi ornamentum, & suorum;
Læti colunt, lubentes venerantur
Cultu, animo, obsequio
Quæ:
Hoc apparatu conati ostendere
VTERQVE ORBIS.

Meritò



Meritò additum : VTERQVE ORBIS. Intellexi enim pòst, ad immanes hosce sumptus favore & amore concurrisse totius orbis Monarchas, quos ab unius regni liberalitate profluxisse, numquàm creditura fuisset Posteritas. Tota cura inventionis, ordinationis, dispositionis unius curæ commissa fuerat, delecto ad hoc Doctissimo Clarissimòque Viro * IO. BAPT. SACCO. Et profectò debebatur ei, sive officium spectem, sive eruditionem, sive meritum. Singula nolo studiosè inquirere, cùm ea omnibus notissima. Vtinam plures hujus notæ viros haberemus, qui aliquãdo essent, quod hic fuit, PATRIAE HONOS. Diu sit. Diu maneat. Multæ autem egregiæ apparebant inventiones, exquisitæ dispositiones, multa acutè dicta, & in omnibus elucebat SACCI VIRTVS. Insuper Epigrammata & Chronographica tanto artificio confecta, ut nihil superaddi potuisset. Mitto infinita alia quæ charta non caperet. Vna inscriptiuncula mirificè me adficiebat, quòd Erycium Pu-

* S. P. Q. Mediolanēsi à Secretis

teanum

teanum Litterarum Principem designaret, in magnificentissimi Triumphalis arcus medio descripta. Conabor eam quàm verissimè exprimere.

Te

Te Suadæ, te Sophiæ

Antiſtitem,

FREDERICE BORROMÆE;

Principem,

V. C.
ERYCIVM PVTEANVM

Te volente, cunctiſque faventibus

Suo merito

Hæc ſtructura, hæc Tabula edocet.

Ambos

Apollo & Muſæ

teſtantur

Suum Honorem, ſuas Delicias.

Plura

Plura ejusdē argumenti, ulteriùs progressus, mentis oculis cõnspexi. Postquàm autem, defixus in singulis platéas aliquot emensus fuissem, quæ pulchritudine, decore, & pompâ certarent: ducor ad forum amplum, magnum, quadratū. In eo non minus varia ædificia, sumptuosæ & inæstimandæ structuræ. Medium occupabat pulchrum profectò & planè regium opus, sive spectares eximium artificium, seu præstantem materiam. auro, argento, marmoreis aliisque pretiosis lapidibus extructum. Colossi formam habebat, altitudine (si memini) xx. cubitorum. Nihil deesse credebatur in hoc opere, cùm artem considerando, tum nitorem. Antiquorum opera refers, ut quæ Dædalus Metionius, aut Epius, aut Panopei filius, aut Theodorius Samius, aut alius quispiam statuarum faber benè machinatus est? Nugæ. Teneo memoriâ in Rhodo insulâ colossum fuisse tantæ magnitudinis, ut inter mundi septem miracula connumeraretur; sed ille ad hoc nihil. *Materiam superabat opus*, & omnis

Ma-

Macedonum gaza, quæ fuit maxima, in hoc consumpta dicebatur. In summitate videre erat hominis statuam solio insidentem auroque fulgido splendentem; cæruleis plicis fulgorem intersecantibus; velatam vestibus Archiepiscopalibus. Ad pedum, quem lævâ manu tenebat; pilleus purpureus pendebat. Dextrâ librum habebat rubeũ, cui hæc aureis litteris inscripta:

PHOEBO AVSPICE.

Sub pedibus verò insculpta lapidibus legebantur, ista:

Aetern.

Ætern. Memor. Sacr.

QVISQVIS TRANSIS,

Siste, lege hæc pauca,

Ita Senatus iubet.

Monumentum hoc periturum

FREDERICO BORROMÆO

Mediolanen. Archiep. & S. R. E. Card.

Cuius æterna merita, æternum merentur

Ob MVSAS in

Tutelam, Protectionem, & Patrocinium

receptas:

Vrbem cum Triumpho ingredienti

LITTERARVM PATRES

Læti

P.C.

Iam

Iam omnia quoquoverſum ore ac animo pendulus hauriebam, & hauriebar ipſe à varietate, elegantiâ, & ſplendore rerum. Cùm eccè ſubitò adventantis in Triumphi ſpeciem Turbæ ſonus mancipatas huic ſpectaculo aures, harumque fidos ſemper comites oculos, mihi ſurripit: inde animum quoque, cui proclive ancillari hiſce prænunciis. Sequor totus: & in ſpectaculis, ſpectaculis novis inhio curioſus. En tibi ſelectiſſima Cohors, compoſito & ad magnificentiam librato paſſu, generoſiſſimis vecta equis, foro ſe infert. Quis hîc formet, elegantiſsimè formatum hoc agmen? quis equorum formam, & ornamenta? Quis hominū vel ex ſolis oculis eluceſcentem animum habitumque? Equis certè par volucribus pernicitas (vento conceptos dixiſſes) leonibus pares ſpiritus; aurum illis in dentibus, flamma in naribus, in auribus vivacitas, in ungulis ferocitas, nec progredi laſciviâ, nec uno ſtare loco contenti ſeſſoris idemtidem imperium eludebant; nunc elatis ungulis in cœlum ſcandere,

Illuſtriſs. & Excellētiſs. Principis IOANNIS FERDINANDI VELAZQVII Comitis ſtabuli Caſtellæ, &c. In Civitatem Mediolanen. ingreſſus.

nunc

nunc glomerare passuum volumina, nunc admordere ex obliquo, nunc ferire calcibus, nunc solum percutere, nunc adhinnire comitibus. Sessores ipsi formâ ac habitu liberales, quibus & modestia inerat, & summa erga suum Principem reverentia, & fides. Digni domestici tali principe, prorsùs conveniens his Princeps, qui medio obsessus agmine vehebatur, Pacis Bellique Præfectus, ab unâ in alteram Hesperiam à Majestate Regiâ missus; ut ex Regni honore & utilitate Insubres summâ cum potestate regeret & dirigeret. Bone Deus, quæ in vultu virtus & humanitas, quæ amoris quæ honoris provocatio. Ponè illum Illustrissima Heroina vehebatur lecticâ gemmis auroque ad fulgorẽ æmulâ, & in quâ ars certaret cum pretio. Quæ hîc modestia, quàm amœna gravitas? Sisto; & linguam candentium dentium repagulo coërceo, ne cœlestia hæc sidera coinquinem vocis contagio, quæ nemo nisi animo & cogitatione compræhendat. Sequebantur Matronæ honorariæ, quæ de formæ præstantiâ certent in Idâ cum Ve-

nere; nam in formâ Venus ipſa, in moribus ipſa Modeſtia. Iam omnes per cõfertiſſimos cives exteroſq́; qui undequaque ſummo ſtudio confluxerant, cum labore in forum progreſſi, Inſcriptiones, Moleſque triumphales libare cœperant: cùm ex his unus, ut liberiùs, credo, cunčta oculis perluſtraret, frœnum deflexit in latus & cõverſus ad D. CAROLI BORROMAEI ſtatuam, quæ ex ſacris nuper decretis honoribus ſupſtes eminebat Eccleſiæ foribus & arcum reſpiciebat, quem variis notatum hierogliphicis S. P. Q. Mediol. poſuerat; ſubitò equo deſilit, & genua ſolo adlidens adtonito ſimilis, prorumpit in hæc effamina.

Quid ſibi præ foribus Templi monumenta peracta
Feſta Triumphalis Pompæ? quid Lauriger Arcus
Lunata cervice tumens, violenta Tyrãnus
Auguſto dans jura foro, cui frondibus Alpes
Decrevere ſuis detonſo vertice triſtes?
Nec moles hæc mẽtis inops. Nã corpore toto
Sparſa

Sparsa nitent variis sacræ depicta figuris
Symbola Virtutis, quæ stans post terga serenis
Nubib⁹ accinct⁹ sacro BOROMAEVS *ab ore*
Fulgurat, & Populo validos superinserit ignes.
Non secus igni-pedum quàm si frænator equorum
Suspensis objectus aquis radiantia tela
Vibret, & acceptis stet læta coloribus Iris.
Salve Sācte Parens, jā cū nos dura latino
Iactares fortuna salo, ratis arce remota
Vidimus ejectas ad sidera vergere flāmas,
Et festū vacuas plausum mugire cavernas,
Quem Patres Populusq; dedit: quin Mincius ipse,
Eminùs ut vidit cælum splendescere tantis
Ignibus, aufugiens citus Eridanumq; relinquens
Conchigerum caput obscurum demersit in antrum,
Et Phaetonteas pavidas expavit habenas.
Vt verò agnouit, tibi tantos ire Triumphos,
Eque cavis resonum SANCTI *procedere nomen*

Vallibus, ad fratrem refugis fidentior undis
Fertur, & attiguis pænè hæc immurmurat oris.
Frater fratris Amor, cui tot labẽtibus annis
Vda suavicrepis interspirata susurris
Basia sponte tuli, sociusq́; inglorius hæsi
Sceptra tibi nomenq́; ferens, nunc annue votis
Frater care meis: Cernin' rivalis ut inter
Vrbigenas colles Romanis gestiat agris
Tybris, & in nostras prærepto munere partes
Ambitiosus eat? Cur nostros ille Triũphos
Occupet, & peragat simul & discernat honores?
Hoc DIVO *natale solum, quo parvulus auras*
Hausit, & indubiæ dedit argumẽta salutis.
Dixit uterque simul collisis consonat undis
Vocales jaculatus aquas, quas garrula ripa
Excipit, & calamos sinit inter abire loquaces,
Qui sic dulcè fremunt; ò Sacratissime Præsul,

O di-

O dilecte Parens, o non sine numine Divum
Hoc prognate solo ; non hoc sine numine Divum
O denate solo. Vix atras flumine largo
Flevimus Exequias, & nunc in gaudia nostras
Poscis aquas, tenues nō aspernatus honores?
Donec ab æquali suspensa libramine Tellus
Non depressa ruet, donec Thetis evomat undas
Quas iterata voret, donec circumfluus Aer
Ludet, & excelsa dominabitur Ignis in arce,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt
Donec Terra gravis, donec levis Ignis, & Aer
His medius, fluidoq; liquore movebitur Unda,
Non tua de nostro labetur pectore *Virtus.*
His ego Sancte Parens socius mea vota marito,
Atq; hæc pauca fero, donec mihi ludet in ore
Spiritus, inque cavo formabit lingua palato
Non injussa sonos, semper mihi Carminis ordo

Surget, & exactos recinam sublimè triumphos.

Dixerat, & jam se erexerat in pedes. Ego hominem accuratiùs exploraturus transverso nisu connitor accedere; & jam agmini stabam proximus, Cum eccè in ipsâ turbâ operior Conterraneum meum MATTHAEVM SANDERVM bonis omnibus ob virtutem carum; & quem ob morum elegantiam & insignem amicitiæ cultum, Puteanus suas solet vocitare delicias. Ac primùm quidem ne me oculi fallerent, & similitudo imponeret fucum: curiosiùs illum contemplor. Mox irruens: quàm opportunè te, inquam, hîc Mercurius? Et simul manum porrigens in illibatæ fidei signum, alterâ eum amplector, Faustè, faustè, addo, veneris mi SANDERE. Sed ignosce si congratulationis & humanitatis officia paullulum interrumpo. aliò me vocat, imò trahit occasio. Quis ille tibi proximus vultu habituq; Belga? qui jam jam admiratione defixus tam pia animi sui sensa & Adfectum in D. CAROLVM amœnissimo versuũ flexu

Matthę⁹ Sãderus, Principi à Secretis; optimus, candidissimusque Belgarum.

flexu expreſſit? Ille adridens, itáne tam citò tibi excidit, inquit, non dicam Conciviś ſolùm, ſed amicus etiam tibi in paucis SCHEPPERVS, qui eodem quo tu Italiam, petebat Hiſpaniam? Ad tam Carum nomen motus mihi ſanguis, & meus pænè eſſe deſii cùm me medium viderem meis; animo & linguâ titubabam, & timoris officia occupaverat ſubitum & inopinatum gaudium. Vt me collegeram; Tune hìc, inquam, in hoc Iberorum agmine, ô mi SCHEPPERE, delicium, præſidium, amor meus? Tune, inquam hîc, mi ALTER, ſine quo pænè non vivo? Ille reſpiciens, & ad hilaritatem intentis oculis; Ità ità, inquit, & planè ut aliquando voveram, obvênit mihi occaſio, ut Hiſpaniâ peragratâ dilaberer in Italiam; & quòd mihi etiam præter votum, cum hoc Nobiliſſimo, Humaniſſimo, Doctiſsimo, Doctorumque omnium Amantiſsimo Principe. Principe, inquit, ad quē Principem formes, ſi Principem formare libeat. Habet & illa Heſperia ſuos ſoles, & neſcio an potentiâ ſuâ formidabilis ſit

R.D. Ioãnes Schepperus Comiti-Stabuli à Sacris & Elemoſinis.

magis, quàm Veneranda Principũ quorundã ad omnes virtutes compositis animis. De meo hîc non dicam plura, Insubres ipsos consule, quibus aliàs præfuit. Et quid hæ congratulationes, quid hi applausus, quid hæc conferta multitudo aliud indicat, quàm se recipere Optimum Prudentissimumq́ue Principem, Rectorẽ non Dominum? quem non timeri, sed venerari antè didicerunt. Sed tu dic sodes; Quid hic post D. CARÔLI divinitatis publicam declarationem Triumphus? De Triumpho rogas? inquam; nec audisti uniuersi Orbis consensu indictum hunc Triumphum Illustriss. FREDERICO BORROMAEO D. CAROLI patrueli, Litterarum ac Litteratorum unico Parenti ac Protectori? Nihil, inquit ille. nec est quòd mireris. Iam aliquot diebus in Mediterraneo fluctuavi, & Circes incantamentis obseratas imò obceratas aures habui. Et quis inter rupes, vada, cautes, satis cautus ut famæ vacet multa vanè, multa falsò suggerenti? Ego intendens indicem ad statuam quam in fo-

ro Illustrissimo Cardinali FREDERICO BORROMAEO erexerant; Illum, inquam, hæc refert qui Litteras & Litteratos animat & barbariem exanimat. Pleniorem ipse sermonem rejiciens, tãquàm ex intervallo eodem delatus æstu, humillimè prœmissâ reverentiâ; ut Turbæ Turbãtis Voces plaususq; eliderer, densiore spiritu verba numeris glutinat, & ad illam conversus, sic incipit.

Nescio quid magnum suspiret pectus anhelũ
Quidve immane libret, stat mens immota, nec ullum
Ausa sonum defixa stupet, cùm te videt ire
Altiùs, & longè patriũ transcendere Cælũ,
O Præsul Princepsq; simul. Te Turba novena,
Ipse Pater solo te spirat vindice Phœbus.
Vt te sublimi numquàm moritura colosso
Extulit invitũ virtus? quos fama triũphos
(Fama minor merito) pleno plaudente Theatro
Condidit, æternisq; dedit tua nomina fastis?
Quæ nec tempus edax, nec quod ferit omnia, lethum,

Nec

Nec vaga Barbaries millenis garrula linguis
Prostituens confusa sonos, nec Martius horror
Destruat, aut unquam faciles dispergat in auras.
Quantus frontis honos? quàm majestate verenda
Circũfusus amor? quàm dius lumino utroq;
Fulgor; & in toto spirans reverentia vultu?
O Musis invicte Parens. Vt sacra subactas
Obnubit tibi mythra comas. quas Daphnidis Arbor
Implicat, & tremulam per tempora sufficit umbram?
Læva pedum sublime tenet, tenet altera librum:
Hac Pallas, illa Pietas subnixa revixit,
Damnatumq́; prius cælo caput extulit alto.

Plura parabat in hanc sententiam, cùm illicò comites illum vocant, ut Principem comitetur. jam enim promoverat ulteriùs gressum ad palatium. Verborũ itaq; quærens compendiũ, Quam opportunè, inquit, ô VVANNEMAKERE mecum

Hanc

Hanc ex diuerso sedem dilapsus *in unã es.*
Sed mittamus nos & nostra
—— *dum crastina luxerit aura.*

De hoc Triumpho (ut recordor jam) inaudieram. Ecquis enim tam obscurus in uniuerso orbe terrarum angulus, quem hoc rumore fama non impleverit? Men' hæc ignorare, qui in familiâ ejus Principis agam, cui nihil magis notum est, quàm litteræ, & quidquid in litterarum præsidium & subsidium instituũt aut Christiani Principes, aut Privati? Cui in lecto, in foro, in mensâ, in Concilio ipse Maro, imò & Flaccus hæret in manibus? Cujus potissimam domus partem occupat Bibliotheca maximo sumptu, maximo labore adornata, omni librorum genere refertissima? Iam dudum mihi fama innotuit Illustrissimi Cardinalis Borromęi hæreditaria, & numquàm satis exprimẽda pietas, scientiarum diversissima à puero comparata cognitio, in restituendis litteris prudentia, & in iis fovendis constans liberalitas. O felicem hanc Rempub. cui obvênit hoc unanime Par Principũ. Va-

cillat

cillat Religio, languet Pietas? Præsulem habet, qui illam firmet, & hanc excitet. Mars metum incussit? Principem misit Hispania qui excutiat. Vicinos habet offensos & infestos? Hic unus omnes, aut humanitate suâ reconciliabit, aut compescet authoritate. Nec vana profectò erũt hæc præsagia. Difflabit hic Hercules fumum & nebulas, quas incassum qualiscumque Cacus offuderit. Vides hunc exterum militem quem vanus metus ex inviis mõtium jugis ad suam tutelam accersivit, & jam tanto tempore propriis cõdit & alit visceribus? Aut dimittetur illicò, aut mittetur in hostem, & respirabit lętior liberata ab hoc onere respublica, aut per hunc ipsum à suis hostibus liberata. Nihil timet hic Princeps Prudentiâ Dominâ, Ancillâ Fortunâ. Obsequitur hæc, ubicumque illa imperat. Et ut aliquando sit refractaria, severiùs in illã animadvertit hæc hera; & invitam trahit, si non sequitur. Hæc Prineipi meo Mater. hãc à puero coluit. hâc duce vendicavit Sequanos, & Gallos expulit, Provinciam

hanc

hanc retinuit, & ab illâ hostem detinuit. Iam palatium intraverat Princeps; & nos unà cum illo, cùm tubarum tympanorũque sonus officium loquẽdi nobis eripuit, imò unum ab altero abripuit. Cùm enim negligentiùs socium observo, in postremũ aliquem palatii angulum populi confluẽtis æstu delatus sum, & diu frustra amissum requirens, ad intermissum Triumphum me confero. Itaq; lento passu promovens gressum, cœpi iterum hinc inde omnia lustrare. Alibi theatra erant erecta, in quibus facilè divinabã ab ingeniis aliquid repræsentandum. Quid multa? Vias aliquot sic absolveram, &

—— video fulgentibus armis Ouid. Trist.
Conspicuos postes, tectaq; digna Deo.

Cẽtum aditus habebat hæc aula, & janua velata lauro, sive quia Musis sacra, seu

—— quia perpetuos meruit domus ista triumphos. Idem ibid.

Si vera recordor: à sinistro pariete, alteri publicæ aulæ conjungebatur. Eminebat autem,

—— sublimibus alta columnis

Cla-

Clara micante auro, flammasq; imitante Pyropo,

Idē Metam.

Cuius ebur nitidū fastigia summa tenebat,
Argenti bifores radiabant limine valvæ.

ut si Climeneius Phaëton conspexisset, Solis Regiam existimasset. Parietes magnis superbissimisq; orbibus refulgebant. Non structura, sed structuræ quoddā miraculum apparebat. Vndique Alexādrina marmora, quæ Numidicis crustis distinguebantur. Vndique operosa in picturæ modum variata circumlitio. Ante fores, in alto Colosso APOLLO Musarum Parēs sedē fixerat. PALLAS porrò supra vestibulum locum tenere; cujus utrumque latus, hinc & inde tegebant,

Ἐννέα θυγατέρες μεγάλου Διὸς ἐκγεγαῦαι,
Κλειώτ', Εὐτέρπητε, Θάλειάτε, Μελπομένητε,
Τερψιχόρητ' Ἐρατώτε, Πολύμνιάτ', Οὐρανιήτε
Καλλιόπηθ',

Hesiod.

Novem filiæ è magno Iove prognatæ
Clioq;, Euterpeq;, Thaliaq;, Melpomeneq;,
Terpsichoreq;, Eratoq;, Polymniaq;, Vraniaq;
Calliopeq;.

His sequebantur:

Idem. —— δὲ οἱ χάριτές τε θεαὶ, καὶ πότνια Πειθὼ,

vero,

—— *verò, Charitesq; Deæ & veneranda Suada.*

Certè non Musarum, non Palladias aulas præ illâ pulchras dixissem. Penetralia iniens, (patebant fortè fores) novo splendore, oculos pascebã. Incredibile enim esset, gemmarum multitudinem si quis referre vellet, quæ illîc perlucebant. Stupuissem, ni stupuissem. nec satur videndo fiebam. adeò incomparabile illud opus, humana pectora reficiebat. In hoc Musarum sacrario, ad parietem, ex adverso amplioris aditus, solium erat splendidum claris smaragdis; & totum quidem

—— κύκλῳ τιτάνῳ λευκῷ τ' ἐλέφαντι,
Ηλέκτρῳ: Idem.

—— *circumquaq; gypso, candidoq; ebore*
Et electro,

lucescebat. Miri prætereà ibidem lapides. Sagda gemma, quam Chaldæi navibus adhærentem habent jucundissimè virebat. Myrrhites mirræ coloris, suavissimum spirabat odorem. Μίθραξ ibidem etiam varijs coloribus, & Σεληνίτης candido fulgore, fulgebant; & hujus interior can-

candor cum lunâ defici videbatur & crescere. Alibi quoque, φλεγόντις ardebat instar flammæ, ac Α'νθρακίτης, in quâ quasi scintillæ discurrebant. Velum solii tanto artificio confectum erat, ut neque Palladis Poliadis peplum ab Acesio & Helicone artificiosius contextum crederetur. Etiam variæ picturæ ibi, victorias Apollinis variè repræsentantes. Subinde variæ statuæ, variæ inscriptiones. Adfectatiùs videbor ista describere. Verumtamen est ut dico. Dico autem ideò, quia aliis videri cupio quod mihi videbatur. Multum temporis hîc hæsi, nec facilè eripere me valui. Egredior tamen & extrinsecus lustrare iterum juvat. Itáque cuncta iterum oculorum luxu quodam diligentiùs pererrans: eccè quòd ante minus adverterã, sub Minervæ pedibus offendo hanc tabulam:

GRATIARVM hîc locus est,

MVSARVM iste locus est.

PROCVL ESTE PROFANI,

Queîs non illæ & illæ curæ,

Queîs non illæ & illæ amori.

SED,

Nec leviter cvrasse,

Nec leviter amasse,

Satis est:

NISI LAVDEM, NOMEN, FAMAM;

D NISI

NISI SEMPITERNVM AMOREM

HABVERITIS;

ITERVM MONEO, PRÆMONEO:

EXESTE.

Qui neglexerit, qui contempſerit.

REVM VOLVNT

ET

POENAM EXIGENT

HAE MVSÆ, HAE GRATIÆ

SINE GRATIA.

Hæc

Hæc ut excepi, ſudore gelido miſer perfluo, tremore quatior, adeò quòd lapides etiam ſub pedibus palpitando ſaltarent. Et quid feci? inquio.

Nunc ego inter ſacrum ſaxumq́; ſto, nec
quid faciam ſcio. Plaut. Captei.

Iſta prius non vidi? non animadverti? Quid ſpecto, niſi lictorem qui me abducat? Dura lex. Quis hic Licurgus aut Solon? Dubius conſilii ſic hærens, jam obſervabam qui mulctam exigerent. Vt neminem offendo, fugam deliberãs, Dædali aut Perſei alæ in votis ſunt quibus me inde recipiam. Sed eccè ſub obſcurâ luce ad me rectà venientem video, amicum meum veterem. Adtonitus ipſo viſo: quis ille, aio,

—— *quem huc advenientem conſpicor,* Idem Epid.
Suam qui undantem Chlamydem quaſſando facit.

Modum illum incedendi pro more habebat Vir Optimus, Vir ornatiſſimus meique amiciſſimus, IOANNES COCCHIVS, cujus benevolo & munificentiſſimo in me animo numquàm ſatisfactu- Ioannes de Cogghe Cortracenſis animo & affectu Alter Parens meus.

rum me crederem ni * Romanus meus Sapiens dixisset: *Interdum solutio est, ipsa confessio*. Musas etiam cum honore coluit; & nũc faceret ni forensibus curis impediretur. Itaque quamquàm summè agnovissem, dubiâ tamen mente

* Seneca.

Κἀγὼ δραμὼν πρὸς ἀυτὸν:

contendo cursum ad illum;

ut cum vate illo dicam. Ipse verò irruẽs; O amice, inquit, atque æqualis mihi salve. ut vales? ecquando venisti? Vigilon', inquam ego; an me

— ludit imago

Horat. Carm.

Vana; quæ porta fugiens eburna, Somnium ducit?

Ten', teneo, mi Alter, an genium tuũ? quo pacto hîc, in hâc urbe, in hoc solo? Nihil, inquit, hâc fabulâ fabulosius. Quid? An solus hæc ignoras? Hui. inquam. Verè videris mihi omninò torpedini quàm simillimus. Nam ut illa hominem sibi propinquantem tangentemque stupidum reddit: sic tu nunc me stupefacis. Reverà & animum simùl & os stupidum habeo, hæsitoque, nec quid dicam

in-

invenio. Hoc unum ſcio: herè me Romam adveniſſe, et jam media me Vmbriæ loca tenere reputabam.

Sed huc animum adverte, atque aufer riducularia, Plaut Trinũ.

Nam ego dedita opera huc ad te venio.

Sunt quæ percontari volo, quaſi per nebulam à me viſa. Quæ tabula illa quam ſub Minervæ pedibus in frontiſpicio aulæ legi? quæ lex tã ſevera? Baſilicas mehercule edictiones & imperioſas habet. Et ſi eſt ut ſonat, feſtinato opus ut me hinc eripiam qui eam tranſgreſſus. Ad hæc ipſe riſu commotus; O lepidum animum, inquit. Violari à te lex illa non potuit, qui eas omni pietate ac pio conatu colueris veneratusque fueris. Sed cedò ſodes ſeriò, An verè tibi illa ignota? Ignota? inquam, veriſſimè. imò ſomnians vidiſſe illam videor, ſomnians fabulari, ſomnians te videre. Plura verba non feceram, cùm occurrit mihi par inſeparabile, quos unus amor, unus adfectus jungit & duorum naturam velut unius facit ipſe unus, apud quos eõdem amore & adfectu tamquàm

ALTER admittor. Amat uterque tãquàm unus, & ego utrumque tamquàm unum, ut meritò & unius ſim & utriuſque. Quid nomina ſileo? RR. PP. HIERONYMVS TEMMERMANNVS & AVDOMARVS DE GRYSE erant, hic Brugenſis, alter Gandenſis, ejuſdem mecũ Inſtituti & Religionis, illi verò iiſdem moribus ſtudiiſque; hoc eſt, Boni & Doсti. pariter aliquando non docti tantùm, ſed Magni futuri. Voveo, iterumque voveo. Tu Deus Opt. Max. audi exaudi preces meas. Poſtquàm illos amplexus, & multa locutus; deque ſtatu, valetudine, itinere, ipſi quæſiviſſent, ego reſpondiſſem; ad Cogghium converſus; Quid ſtamus? inquam. Ille injectâ mihi dexterâ ad propinquam domum ſibi familiarem, viam capeſſit. Vt compendio abſolvam; inivimus, & arreptis ſedibus in orbem conſedimus, non iidem tamẽ qui veneramus. Factâ enim metamorphoſi (ut in ſomnis ſæpè aſſolet dum loca mutamus) duo illi MEI, evanuêre, in quorum locũ Doctiſſimus Vir, quem littera-
rum

rum amatores amant, Litterarum Cultor FRANCISCVS ZVVEERTIVS F. visus adsedisse, non me mirante. Ille autē, ut habitus demonstrabat, ornatus accedebat huic Triūpho. Sedi ergò inter hūc & COGGHIVM medius, & utrumque intuens, sic ordior. Lætor, & ex intimâ mente gaudeo; Videre vos, audire & esse unà quibuscum cupiebam, atque adeò, quod maximum est, salvus & validus. Quo fato id factum, nescio. Mirari me, tibi, mi Cogghi, mi anime, jam prædixi. nec de hoc ampliùs inquiro. Sed heus tu, mi ZVVEERTI, ne pigeat vel tędeat prætexere (à nullo enim melius illa petam quàm à te qui è Triumpho unus appares) hujus ornatus, pompæ, apparatus quem vidi; illius aulæ quam lustravi, caussam. Illustriss. Card. FREDERICO BORROMAEO præparata fuisse obiter quidem jam ante percepi; at tu ista, quæso, clariùs. Ædes autem istas, quidni suspicer Apollini Musisque sacras, ut statuæ & laurus indicāt? Vtrumque, inquit, tetigisti. Amplissimo enim herè Triūpho, Maximus hic Anti-

ſtes, gaudio ac lætitiâ mortalibus omnibus applaudentibus, à Sapientiæ alumnis MVSARVM, LITTERARVMQVE VINDEX TVTOR, PROTECTOR, PATRONVS, PARENS, ſalutatus. Triumpho, quem totius orbis Monarchæ incredibili ſumptu deornârũt. Sãctiſſimo verò PAVLO V. Pont. Opt. Max. tantò gratius extitit, quòd eo anno contigerit, quo Magnũ illum CAROLVM ejus patruelem Divorum cœtui adſcripſiſſet. Cuncti Præſules, Reges, Principeſque, præclaro ordine, longo extra mœnia intervallo, ſacra ferentes, obviam procedebant. Quæcunque ab eo terra calcanda, ſtrata erat purpurâ & oſtro. Matronæ nobiles Virgineſque roſas, lauros, liliaque è tectis ſpargebant; & variarum ſerta florum ſacro annectebant capiti. Quocumque in foro aut trivio ſubſiſtebat, novas offendebat ludorum facies, adclamante omni animâ: MVSARVM ANTISTITI VITAM ET GLORIAM. Cui illa mirum? mi VVANNEMAKERE, inquit. Non tibi, ſcio: qui majora in eo merita præſens vidiſti. Curam ſumptuſque lit-

teratum

terarum factos & faciendos nemo te melius explicabit. Apud nos quidē & mortales omnes, ſecunda illa fama virtutum tanti viri jam ſic invaluerat ut ſuffragia quidem omnium litteratorū, apicem hujus honoris contulerint, vota omnium deſtinarint.

O mihi tā longæ maneat pars ultima vitæ. Virg. Bucol

quantùm ſat erit laudare & extollere talem virum. Rara & feliciſſima felicitas, judiciis dignitatem poſſidere; rariſſima & immortalis, merito. Hic fuit. quis? à naturâ, à ſcientiâ ab uſu præclarus; & benignitate, benevolentiâ, humanitate, prudentiâ; quid verba facio? ab omni virtute eximius, ut publica vox fuerit & confeſſio, eum eſſe qui amari, coli, venerari ab omnibus deberetur. Natura, Suada, Sophia, Ingenium, Eloquium, Eruditionem ei contulêre. Inſuper variis linguis, proprio marte, nullo magiſtro præeunte adquiſitis, Arabicâ, Chaldaicâ, Hebraicâ, Græcâ, Perſicâ, &

Qua prior in Latio non fuit ulla foro Ouid. Triſt.

tamquàm gemmis decoratus dotatuſque:

de

de omni re profanâ & ſacrâ non antè excogitatâ, ſummâ eloquentiâ ità dicit & diſſerit cum omnium ſtupore, ut ne ſinguli in ſingulis ſupra ęſtimationem edocti cũ illo congredi audeant adtentare. ut meritò habeatur,

—— θαῦμα θνητοῖσι βροτοῖσι:

Heſiod. *miraculum mortalibus hominibus.*

Hæ tamen dotes, quæ inflare nonnunquàm & liberũ pectus omne quatere ſolent, Modeſtiâ magnâ comprimuntur, quæ & illas à faſtu vindicat. Non ſecùs quàm quemadmodum Æternus ille Sol radiorum ſtellarumq; facibus circumcinctus, ſplendorem habet, non calorem: ſic Noſter hic Muſarum Sol, Sapientiæ dona ſine ſuperbiâ: immortalibus monumẽtis inſeri dignus, qui habeat; maximè, qui ſic habeat. Sumite exemplum, ò Magnæ Animæ. ô Principes. ſumite exemplum; nec ad plebeiorum humilitatem, redactas litteras languere ac ſuſpirare diutiùs permittatis, ad morem priſci honoris & ſeculi. Nam hoc ævo quis è magnis vitam in litteris conſumit? quis ſtudiorum fructum,

ctum, lectione petit? Pauci si numerẽ, &
—— *numero vix sunt totidem, quot*
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.
Sed hic multorum instar, natus ad regendum & scribendum. Quid ità? In istâ infulâ, in illâ purpurâ, in istâ dignitate, Musas amat, Musas colit: & inter publica litteras, inter litteras publica taliter administrat; quasi à naturâ ipsâ ad utrumque pari felicitate edoctus. Nolo in his prolixior esse apud te, qui ea & alia vel nimiũ novisti. Novi inquam, at cur Belgis Principatus delatus? Hoc profectò mirum; & eò ampliùs quòd una hæc Vrbs tales habeat, quales non totus orbis daret. Fatemur, inquit; & fassi nos semper Belgæ; nec laudem hanc unquam usurpavimus. Illi contra verò Modestiâ & favore potiùs (ut credimus) quàm merito nostro excitati, Quibus, inquiunt, justiùs is honos hoc seculo debetur? qui majori honore & gloriâ litteras colũt? qui laude ampliori profitentur? qui meliori fructu, instruẽdo promovent? Belgium Musarum Domiciliũ, & sola Maxima Ganda, inquiunt,

tot hoc tempore dedit, quos Musæ docuerunt divinum carmen canere, & qui soli sufficiant omne stili genus inlustrare. Triumviros illos, MAX-AEMYLIANVM VRIENDTIVM, CORNELIVM A MARCA & DANIELEM HEYNSIVM lubentes volentesq; prætereunt; habemus, aiunt, non inferioris notæ, & quibus summus Deus eximia quoque dona dedit; Reverēdum, Optimum, Modestissimumque Virum D. SIMONEM KERCKOVIVM affinē tuū, IOANNEM SCHEPPERVM, IVSTVM RYCKIVM, DAVIDEM LINDANVM, innumerosque quos longum esset recensere. Et certè sine adfectu, sine invidiâ loquamur: quis superiorē imò parem, inter plurimos, CL. V. ERYCIO PVTEANO dabit? Invidi. CL. IVSTVM LIPSIVM, quid requirimus? Altero fruimur, qui non comparari illi, sed præferri poterit. Negabit quispiam? Vota inquisivimus & conclamatum fuit: OMNES OMNES. Eum igitur Maximus is Noster Musarum Antistes, (Clarissimis Italorum decernentibus, omnibusq;

busque omnium terrarum consentientibus) quem anteà ad honorem hunc destinaverat: nunc (volente etiam Daniele Heynsio, nuper relictâ Battaviâ, Gandavum velut ad paternos lares reverso, cui hanc Puteanus laudem deferebat) magno applausu, in ingressu suo, in amplissimo maximi fori theatro, Litteratū Principem pronuntiavit. Ad Aulam venio & Musarum Sacrarium, de quo, ut in cursu fit sermonis, fugio dicere. Centum hæc aditibus patet in templorum Sibyllinorum morem. Non immeritò. Puteani nostri, Heynsii, aliorumque dogmata inspicimus? Tam divina, tam præclara sunt, ut tamquàm oracula habeantur. Extruxêre eam, ob summam in Litterarum Principem & Patres adfectum, Orbisterræ Principes, & Musis sacrā voluerunt, ut Lex quam legisti indicat. Ad hanc modò Antistes ex hortis exspectatur cum Musarum Principe & Patribus, quos in Antelucano, itineris matutini gratiam capturi, accesserunt. Siccinè? mi ZVVERTI, inquam. Magna planè &

Pu-

Puteani & Belgarum laus. Sed cùm ad memoriam revoco, ſunt qui tibi me vix permittunt conſentire; quos miſerè Litterarum caſum in Belgio, deflere cognovi. Iterum ZVVERTIVS; Huc te volebam, inquit. Novi optimè, quanto aſtu, quo ingenio, quâ arte procedant nec ob id litterarum interitum deplorare; ut alios excitent aut amorem incutiant: verùm ut Puteano nocere maximè poſſent.

Terent. Andr. *Hinc illa lacrima, hæc illa eſt miſericordia.* *Heu*. inquam ego, *cadit in quemquam tantum ſcelus*? Hæc de tam innocenti, optimo, ſapientiſſimoque viro, quem ſatis venerari nec ſuſpicere poſſumus? Deſine, deſine ait. Fruſtrà innocentiam nominas, apud quos, ſicut Romanus Hiſtoriographus; I*nnocẽtia pro malevolentia duci cæpit*. Nulla hîc veſtigia majorum, *qui imitari quàm invideri bonis malebant*. Sed

Salluſt. in Catil.

Ibidem. miſeri, *laterem lavant*, ut in proverbio eſt: neque intelligunt multò acriùs à Puteano invigilari ad conſervationem litterarum, quàm ab ipſis ad perniciem. Zoili ſunt qui cùm malefacere non poſsint, ſtu-

dent

dent maledicere: & cum Proteo Cynico ſeneſcunt malè loquendo. At quantò magis deprimunt, tantò altior exſurgit; eũque fama non excipit modò, ſed obruit. Qui profectò, non caſu opulentus evaſit; quẽadmodùm Thebanus Iſmeneias: ſed prudentiâ vigilantiaque ſuâ, rem auxit. etſi nec adhuc pro ingenio vivere datum ſit. Quid enim ingenium hoc non meretur? quo præmio dignus non cenſebitur, qui facilè prædeceſſores ſuos ingenio, labore, ſtudio, (quæ in litteris promovendis adſumit) ſuperavit? Quis prædeceſſorum cogitavit unquam, quod audet adtentare? Nunc, nũc Doctore & Directore C. V. ERYCIO PVTEANO, BELGICA IVVENTVS in PALESTRA BONAE MENTIS pro litterarũ æternitate ſudat. Nam de hoc laudabili inſtituto non differo dicere. Rem magnam molitur & facilem Eloquentiæ uſum revocare. Exercitationes ſunt, imò aculei ſunt ad adoleſcentium animos ad Sapientiæ viam illiciendas, impellendasq;. Exercitationes tamen iſtas, invidi aliqui ſubſannare

De Paleſtra Bonæ Mentis à Puteano Lovanii erecta.

ſannare auſi. Sed ſtimulari conatus ejus debet ut feliciùs ſurgat. Favent Principes noſtri huic inſtituto, quo promotum it bonas artes: & diplomate Paleſtrã confirmarunt. Etiam numiſma dederunt, quod Arbiter velut muneris inſigne geſtaret. Nam Magiſtratum aliquem conſtituit, leges ſcripſit, oratione publicâ celebravit, nihil non fecit, ut negotium aliquo auctoritatis pondere cõfirmaret. Pluribus moror? Exemplar litterarũ à Principe, rem aperiet. Addo tamen aliquid de Patrono, quem pro illa quæſivit & invênit. Illuſtriſsimus CAROLVS DE CROY Arſchotanus Dux is eſt, Antiquitatis multarumq́ue linguarũ peritiſſimus: Ipſe domum & Bibliothecam ſtruere paratus, & Paleſtræ patrocinium ſuſcipere. Itẽ ſtipendia & ornamenta addere. Quid cenſes? Magna illa ſunt, & quæ ne cogitare quidem alius auſus. Deus faveat ut perficiat & redeat priſca litterarum felicitas. Vtinam tantùm declarare poſſim, quàm miſerè miſeri illi crucientur & tabeſcãt ambitioſi hâc virtute. Nos ſcimus.

Ego

Ego in ſtuporem adtonitus; Illi, inquam; hâc virtute cruciabuntur?
— *Quæ tanta animum dementia cæpit?* Virg. Aenei.
Quæ intemperiæ illos agunt? *quis iste furor? quæ ista inimica* (Senecæ verba pono (*Diis hominibusque natura eſt*? Si poſſunt; bonum laudant, doctum æſtiment, ſapientem venerentur; ſi minùs, tranſeāt. Quòd ſi tanta libido, tetram iſtam licentiam exercendi: in ſibi ſimiles incurrant. Verum eſſe quod ille olim: nunc experimur.

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi. Hor Carm.

Quæ, voluptas infernales illos canes excitat? Obmuteſcant apud ſuperos, atque apud inferos latratu ſuo cerberum comitentur. Vereor enim, vereor, ne animum ejus interturbent his turbis, ut minus prȩſtare poſſit quàm ab illo expectetur. Etenim, ô mi ZVVEERTI. quantùm, quantùm virtus ejus enituerit, juvat tecum meminiſci. Et ſi non tantùm adhuc fortè, quantùm virtus ſua meretur: nihil dolendum. Spero equidem pòſt, magnū

paratumq́ue nomē habiturum, & qui voluissent eadem ivisse vestigia. *Nulla virtus latet*, (Philosophus loquitur Episto. LXXIX.) *& latuisse, non ipsius est damnum. Veniet qui conditam, & seculi sui malignitate compressam, dies publicet. Paucis natus est, qui populum ætatis suæ cogitat. Multa annorum millia, multa populorum superuenient. Ad illa respice; etiamsi omnibus tecum viventibus silentium livor indixerit: venient qui sine offensa, sine gratia judicent. Ad nos quidem nihil pertinebit Posterorum sermo: tamen etiam non sentientem colet, ac frequentabit.* Colet certè, & frequentabit. Nam

Plaut. Captei.

Tum denique homines, nostra intelligimus bona:
Cùm quæ in potestate habuimus, ea amisimus,

Viderunt, imò experti Insubri qualis quantusq́; sit, & nihil nisi Sapientia. Apud istos ab Excellentissimo Mediolanensium Regio Senatu, Patavio, vbi apud CL. V. VINCENTIVM PINELLVM agebat, evocatus; primus Eloquentiæ Professor in-

institutus: Famæ viam aperuit. Nec vanè: Publicum siquidem testimonium judiciũque provocavit, & solenni ritu Doctorali Iurisconsultorum Laureâ post solẽnia experimenta insigniri meruit. Invictissimus verò Rex noster Catholicus PHILIPPVS III. Historiographi titulo honoravit. Sanè neque sileo Magni illius & Illustrissimi IOANNIS FERDINANDI VELAZQVII Magistri Equorum, in Puteanum adfectũ, & propensum animum. Quidquid enim à Potentissimo Rege: ipso ferè curante, consecutus est. Ille, ille longinquum à Patriâ, & suis, pænè à seipso divulsum, benignissimè in patrocinium tutelamq; suscepit. Qui Vir? quis Princeps? In quo Musæ suaviter spirant, in quo Mars etiam floret. Sed prolixiorem sermonẽ SCHEPPERVS meus de hoc Principe, & antè jã fecit, & ampliùs se facturum promisit Vtinam autem aut ipse aut Litterarum Princeps Excellentissimi hujus Principis *Facta*, &

Præside Doctissimo CL. V. SOCCINO SICCO ARAGONIO I. C.

— Virtutes in ævum,
Per titulos memoresq; fastos æternet.

Hor Carm.

O Æternæ Deus. adſpira & inſpira, ut Æternitatis ſuæ Aræ volumina aliqua *Factorum & Virtutum* appendant.
Sed de Puteano pergo. Nomen ejus & Fama Latium jam penetraverat, cùm illicò Almæ Vrbis Quirites, Conſuleſque, ſumpto majorum exemplo, rationem iniêre, quâ ſibi ex parte devincirent. Illi enim laudatiſſimi mortalium aſſolebant magnos Sapientiæ Myſtas & Eloquentiæ ſummos viros, quos in Parnaſſi jugo, divino ore educatos perceperant, omniumque artium præcellentes, honorario invitare præmio. imò quod maximum: civitate ac Patriciâ ditare dignitate. Non aliter quàm illa apium progenies, quæ volãdo non minimi pretii florum ſuccum, ſed per altiſsima montium cacumina, delectũ carpit. Sic quondam Eloquentiæ Parentem M. T. Ciceronem adſciverunt. Sic & nuper M. ANT. MVRETVM, elegantis ingenii & judicii virum. Sic innumeros alios, ſummâ virtute & Sapientiâ præditos. Igitur hujus quoque viri virtutes venerati: ultrò civem, eum, Patriciumq; ANNO M. D. CIII.
cum

cum totâ posteritate ex Belgâ & Sugambro, cēsuêre. Et à paucis, interim quòd in CL. I. LIPSII locum successit, vetus illud Musarum Domicilium Bononiâ, quid non conatū ut è Belgio eum evocaret? Invitabatur amplissimo stipendio. Nā DC. annuatim aureos, & CC. pro viatico obtulere. Annuisset scio, ni Excellentissimus Comes FONTANVS donis, & auctoritate sua detinuisset, cui repugnare nefas putabat. Atqui nunc, quid tandem manet, nisi, his furiis & peste commotus, aut in angulum sese abdat, aut in alterum mundum transferat, quietem inventurus? Ne fiat, ne fiat: &, ô Æterna Mēs. da mentem, da vires, ut sustineat, ut despiciat, ut contemnat.

Pone metum, inquit ZVVEERTIVS. Non fugiet, quos numquàm effugiet. Maledicentia est, invidia est; quæ omni ævo, omni loco fuit, omni erit.

Istic est thesaurus stultis in lingua situs, Plaut. Pœn.
Vt quæstui habeant, malè loqui melioribus.

Nullum hîc remedium, nisi fortè à voto; quod ex imo pectore concipimus. Et quid

opus? ſic vivit, quomodò optas; & animi Conſtantiam quâ illa deſpicit, nullus incurſus, nulla vis excutiet. Contemnere enim jam didicit; &, velut ait Philoſophus Stoicus, Epiſt. XLV. *Mala in bonum convertit; certus judicii, inconcuſſus, intrepidus: quem aliqua vis movet, nulla perturbat: quem fortuna, cùm in eum quod habuit telum nocentiſſimum, vi maxima intorſit, pungit, non vulnerat.* Cetera tela quibus alij dejiciuntur, glandis inſtar reſultant, quæ in incudem per Sclopum ad acta, ſine nullo ejus incommodo, in terrã protinus fertur. Antiſthenes enim docuit, Αναφαίρετον ὅπλον εἶναι ἀρετὴν eademq́ue ſapientem armatum eſſe, nec ideò vinci poſſe. Quapropter non nocere tales ei poſſe exiſtimo. & eò minus, quòd noverit malignitatem illorum innotuiſſe, perpetuæq́ue poſteritatis ſuæ crimẽ futuros. Sed vin' invidiæ hujus cauſſam? Dabo volens lubenſque, & ut melius naturã cognoſcas, de conditione plura interſerã. Quàm verò dabo præter ſuã ipſius æſtimationem, aliorumq́ue contemptum?
Tales

Tales ſunt; Confidentes garruliquc, qui in linguâ habent confidentiam. Ophiogenes & Pſylli, nati tantùm ad venena. Atra illorum ceu ſerpentum lingua. omnia adurit: omnia culpat. Nihil præter ſua laudant, nihil æſtimant.

— Alteri, audacter de nihilo dicunt contumeliam Plaut. Curcul.
Et qui ipſi ſat habent, quod ipſis poſſet verè dicier.

Cùm perire ſoli nolint, alios cupiunt perire ſecum. Ipſarum quoque noctiũ quieti invident; nec ullum novêre abominati ſpiritus præmium, quàm omnia odiſſe.

Qui omnia ſe ſimulant ſcire, nec quidquam ſciunt. Idẽ Trinũ.
Quod quiſque in animo habet, aut habiturus eſt ſciunt.
Id quod in aurem Rex Reginæ dixerit,
Sciunt. Quod Iuno fabulata eſt cum Iove,
Quæ neque futura, neque facta ſunt, tamen ii ſciunt.
Falſon' an vero laudent, culpent quẽ velint
Non flocciſaciunt, dum illud quod lubeat, ſciant.

Non enim aliud horum negotium, quàm bonorum justorumque famam æternùm proſcindere. Hi mores eorum ſunt, vitiis elegantes; ſed quos ſpecie quadam Virtutis aut Sapientiæ tegunt & fovent. Solos, &

Terent Eunuch. —— *eſſe ſe primos omnium rerum volunt;*
Nec ſunt tamen,

nec erunt, tametſi paſsim ſapientes ſe palàm jactitent. Cenſores volunt, imò & vates agere; nec ſumere ſenſum ſed adferre, & mentem adducere ex ſuâ mente, denique obſeruare omnium ſcripta, & rapere in deteriorem partem. Sed ne pluribus verbis te detineam; Satores ſunt, meſſoreſque mendaciorum, ſcelerumque quæ ambitio & inflatus animus miniſtrat. Ille, dico, ex divitiis ortus, quas amplas poſſident. Hæ enim, ſcribente Senecâ Epiſt. LXXXII. *inflant animos, ſuperbiã pariunt, invidiam contrahunt, & vſque eò mentem alienant, vt fama pecuniæ etiam nocitura delectet*. Sed audite,

Ἀκούσατ' ὦ σόακες, ἔμποροι λήρου,
Λόγων ὑποκριτῆρες:

Au-

Audite Porticenses, Mercatores nugarum,
Verborum arbitri & censores,
audite Romanum Lyricum:
Fortuna non mutat genus. Hor. Epod.
Ipsius hæc munera, non hominum. Virtus est quæ hominem animumque nobilitat. Et quamquàm vere quoque possem dicere cum Polybio; *argentum quidem, & pecuniam esse communem omnium hominum possessionem; at honestum, & ex eo laudem & gloriam, Deorum esse, aut eorum, qui à Diis proximi censentur:* ad Socratem tamen vos voco. Ille scitè & doctè hoc idē. nempe: *non è pecunia Virtute nos, sed ex Virtute pecuniam, atque alia omnia bona publicè ac privatim hominibus obvenire.* Obveniunt profectò. Illa enim fortunæ bona quam exigua ad honestatem? omnes novimus. & quàm incerta? Vtinam utinam hæc in animi medullas dimittant:

Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat, Ouid. Trist
Et manet in nullo certa tenaxque loco;
Sed modò læta manet, vultus modò sumit acerbos,
Et tantùm constans, in levitate sua est.

Ha-

Habeant itaque sibi. Quomodo? inquies. In curam, in angorem, in ruinam. Volo tamen sciant, nihil magni esse in divitiis vivere; omnes tyranni faciunt. magnum est, honestè vivere, prudenter, sapienter, fortiter. *Nam divitiarum gloria* (Sallustii verba refero in Catil.) *fluxa atque fragilis: virtus clara, æternaque habetur.* A Stoico nostro sapiente etiam instruimur, qui docet, *Beatum non esse eum quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit: sed illum cui bonum omne in animo est, erectum, & excelsum, & mirabilia calcantem.* Non sic tamen hæc à me dicuntur, ut solos opulentos, sapientium turbatores æstimem; imò paucos reor (si tamen sunt.) Sed anne miserum, egere omnibus; & garrire, & turbare, & censere singulos? O misera vita. Verùm *hoc etiam accedit huic pesti* (dicit Plutarchus) *quòd inauspicata sit infelixque illorum natura, & eis summa quædam licentia in justos potiùs, quàm in malos concedatur.* Vt enim Cantharides lætioribus frumentis, & viridioribus innascuntur rosis: sic

Seneca Epi. xlv.

&

& illi, eos arrodũt maximè qui *justi* sunt, quique ad gloriam, virtutis grassantur viâ. Ad explendum sanè desiderium inhiant? honeſtè verò nec ne expleant, omninò non curante. Narrationis pausam hîc aliquam faciebat ZVVEERTIVS; cùm ego erumpens voce, O Amice. aio

Ego porrò nec ipse nũc inter homines justus Hesiod.
Esse velim.

Ineptias, inquit, narras: & nugas meras. quid abducit? Rogas? inquam;

— *quando malum est hominem justum* Idem.
Esse?

Malum. ait. Imò bonum potiùs. Quid enim hic novi?

Et figulus figulo succenset, & fabro faber: Idem.
Et mendicus mendico invidet, Cantorq́ʒ Cantori;

Quantô minùs ergò mirum si vitium virtuti, impius pio, bono malus malè velit; & virulentâ suâ linguâ aut conatur disturbare; aut apud vulgum, ut malè audiat falsimoniis circumscribere? Imò hoc necessarium virtuti. Ipsa etenim se magis tum, magisq́ue extollit. Themiſtoclem

audi.

audi. Ille, cũ adolescens esset, nihil splẽdidum à se fieri, inde cojicere solebat, ꝙ nullos adhuc invidos haberet. O præstans præstantissimi viri dictum. In hoc finio; etiam à vobis, si placet, dimittor & me ad sacros Apollinis hortos recipio. Equidem, nisi me fallit animus, ad aulam hanc ut veniant, hæc hora indicta. Non detinemus, inquam, si est ut refers. Sic locutus, surrexit ille & discessit.

IAM igitur soli remanseramus, Ego & Cogghius. Qui ad me obversus; Nihil impedit, inquit, quin de itinere aut fortunâ tuâ nunc quidquam promas. Etiam de Antistite Borromæo dicas, & qualiter ab eo exceptus, Vtrumque, inquam, placet; sed breviter, & quãtùm tempus patitur. A meo è patriâ discessu ordiar. Ordine enim si narrare libeat: ab hoc exordium debeo. Quo tempore verò discesserim, mi amice, quàm suaviter à te dimissus: jam nosti. Discesserim dico, Antuerpiam ad verum Vrbium Ocellũ vocatus, à Belgiæ supremo nostro Præsule R.A.P.M. PETRO VVOSTINIO mei

aman-

amantiſſimo & cui hoc ſemper in animo (fateri liceat) me vel promovere vel ad altiora excitare. Abivi profectò, ſi diſcendi cupiditatem ſpectes, libenter; ægrè, ſi te alioſq; quorum deſiderio mirè tenebar & quibuſcum ſtudiorum commercio jucundè vixeram. Ibidem autem Præſule noſtro (adjuncto ſibi R. P. MICHAELE OPHOVIO inſigni doctrinâ prædito Viro, cui Religio auctoritatem detulit quã meritò apud mortales omnes maximam habet) de itinere altiùs deliberante; judicârunt expedire potius, me non recuſante, Italiam petere (nam ſpe in Hiſpaniã transjiciendi vocatus antè fueram) R. P. MATTHIA HEYSIO, optimo fideq́ue itineris mei Achate. Hoc nuncio accepto ad Grudios me contuli, ut extremos fortè amplexus darem ſuaviſſimis Conmilitonibus, qui tanto amore omni loco mihi juncti,

Quantus in Aeacidem Actori deniq; fuit.

Et qui non tantùm amore meo, ſed honore omnium digni. Quidni enim eloquar? Pauci hi non habent quòd in omni

ni ſtili genere alicui viventium invideãt. Iuniores ſunt: fateor. At optimè Menã-der: *Cani capilli haut adferunt pruden-tiam*. Et illud Plautini auſculta;

Non ætate, verùm ingenio adipiſcitur ſa-pientia.

Nomina non tranſeo, quæ orbis (inuideãt æmuli) quandoque feret. Fuêre; RR. PETRVS MARTYR AEGIDIVS VVALEGHE-MIVS, FRANCISCVS CAPPRONIVS, IACO-BVS EEDA. Anime. qui animi? quæ ingenia? Accedũt iis PHILIPPVS AER-TIVS, PAVLVS VELDIVS, IACOBVS CABILIAV. omnes ejuſdem mecum & Religionis & ſoli. Sed utinam liceret ca-ra illa pectora in Amphiteatro ſuſcipien-dos præbere. Non permittit nec illorum; nec Religionis modeſtia, quâ Amphitea-trales iſtas laudes execrârunt ſemper, & nemo bonus ſano oculo patitur. Illi ergò & Muſarũ Princeps Puteanus, ante meũ è Belgio deceſſum, Lovanium ad ſe vo-caverant bino vinclo, Amoris & Pietatis, Plus uno die tamen non remanſi, cùm ad Advaticos reverſus in Italiam quampri-mùm

mũ à Superioribus & Francisco Zvvertio (cui præcipuam itineris mei rationem acceptam refero) honestissimè dimittor. Priusquàm abirem verò, Puteanus litteras misit, unas Illustrissimo Cardinali Borromæo tradendas, alteras ad me plenas adfectu. Vide: eas confestim protuli. Non quòd tenebar laudibus istis quas plenè in iis expresserat: sed quia merebãtur elegantissimæ divinæque litteræ; quarum plurimi (inter illos Zvveertius) exẽplar postulaverant. Iis à Cogghio perlectis, Quid hìc nunc à me requiris? subjunxi. Adamussim ut referam quas civitates, quæ oppida, quæ hospitia adierim? quî exceptus, detentus, dimissus fuerim? Frustrà. Neque enim tempus sufficeret, neque possem si velim, neque tam curiosè singula à me notata, neque memini. Musarum Antistes Illustrissimus Cardinalis Borromæus ad se me vocat. De illo habeo quæ sufficienter numquam laudem, mirer, venerer. Narrabo quædam, modò nemo sermonis cursum interrumpat. Te tamen, mi Cogghe, verbo priùs mo-

xvi. kal. Nouēbris. AN. M DC. IX. Aetatis meę circa xxiv.

nco

neo & castigo. Quid enim? Itane verò? Tot mensibus absui, nec verbū de te, nec salutem? Quis crederet? Vbi pristinus favor? ubi amor? Periit? Suspicari possem. Non faciam. imo inducar citiùs in cœlum evolasse terram,

— *quàm te Carissime, credam*
Ouid Trist. *Mutatum, & curam deposuisse mei.*
Innumeri montes, inter me, teq́; , Viaq́;,
Fluminaq́; & cāpi, nec freta pauca jacēt.
Mille potest caussis, à te quæ littera sæpè
Missa sit, in nostras rara venire manus.

Narrare nunc aggrediar ADMIRANDA ILLVSTRISSIMI BORROMAEI OPERA. Vtinam vel in fines ultimos terræ possim. ad Indos, inquam, & Garamātas. Incipiam autem ab ipso capite, *Qualiter me complexus*; Deinde, *Acta Factaq́;*, subjungam.

NOBILISSIMAM hanc maximamq́ue nō Insubriæ tantùm, sed Hesperiæ totius urbem appuli (superis gratia) felici successu & accessu. Et ut primùm licuit, Illustrissimum Borromæum adii, comitatus Optimo Venerabiliq́; nostræ Religionis Patre,

tre,

tre, qui apud S. MARIAM GRATIARVM (ut vocant) celeberrimum cœnobium, ubi ego hoſpes, morabatur. Sed cùm veni, circumfuſam turbam circa cubiculum ejus inveni; quorum alii conſilium, alii ſolatium, alii favorem, alii gratiam à benigniſsimo Antiſtite deſiderabant. Talem enim ſe præſtat. Non præeſt ſolùm, ſed & prodeſt. Non ſibi tantùm cives datos, ſed ſe etiam civibus, arbitratur. Quod Archytas de judice, illud de hoc Antiſtite veriſſimum. Ipſum videlicet, & Aram, idem eſſe; & pariter ad utrumque adflictos & oppreſſos confugere. Cujuſcumque dignitatis, cujuſcūque conditionis aut gradus, nobiles ignobilesque: aſylum, ſubſidium, portum inveniunt. Prohibet *pulſare aliquem adeuntium*; ſive tenuiſſimi homines aditum ad eum captēt, & famuli rejiciant. Adit, hæretque lateri ejus quiſquis acceſſit, finemque ſermonis, *ſuus cuique pudor, non ſuperbia ejus facit*. Et profectò hoc inprimis laudabile: quod curas ſuas à ſingulis ad publica etiã proferat, & patriam Pru- Plin. Panegl.

F dentiâ

dentiâ & Sapientiâ opportunè juvet. Dũ verò cubiculi ejus ostium propinquarem, commodum supervenit, eoque annuente accedens Puteani de Cæcitatis Consolatione libellum, & simul litteras trado. Eas hilarè confestim inspiciens, perlegensque in adstantis turbæ conspectu: comiter adrisit. Et ecquando venisti? ait. Cùm respondissem, ad secretius cubiculum me abduxit. Vbi quàm familiariter mecum egerit, & quantâ benevolentiâ, vix Pytho ipsa exprimeret. Credo firmiter Puteanum nimium in litteris suis, mihi tribuisse. Multa autem hîc me excitabant trahebantque in ipsius amorem, venerationem, admirationem. Enimverò quid dicam, quãta in eo gravitas eluceret sententiarum, quãta inadfectata veritas verborum; quæ adseueratio in voce; quæ in vultu, in oculis, in habitu, gestu, toto denique corpore, modestia, excellentia, magnanimitas, benignitas? Quæ,

— sparguntur in omnes
Claudian. *In se mixta fluunt: & quæ divisa beatos*
Perficiunt, collecta tenet.

Stoi-

Stoici philoſophabantur , *Virtutes inter ſe conſequi, & qui unam habeat omnes habere.* Id etſi non in omnibus ità verum cenſeam . de hoc tamen veriſſimum . Penitiùs eum inſpiciamus, quò nihil accommodatius ad gloriam . Sunt præclara quæ in publicum profert : ſed non minora quæ limine tenet. Domeſticæ penetraleſque virtutes , pares publicis aut publicatis. vbique admiratio ſui : domi, in foro, privatim , publicè. Fides Veritaſque omnibus iis conſtat, quæ à me proferuntur. tantumque à ſpecie adulationis abſum , quantùm à neceſſitate. Quid neceſſum apud hunc Antiſtitem ? Martiale illud, ei ſemper in ore.

Fruſtrà blanditiæ venitis ad me
Attritis miſerabiles labellis.

Sapientiam Eruditionemque non refero, cũ opera qualis ſit declarent, & Zvveertius noſter ex parte jã fecerit. Nolo ego dicere infinita eum ſcire : nemo tamen pauciora ignoravit. Litteras non diſcere viſus fuit, ſed repetere. non audire, ſed reminiſci. Tam ei

Eximiam natura dedit linguamq́ capaxq́
Ingenium, volucremq́ animum.
Mirari satis non poteram in eâdem re judicium tantùm & memoriam. Atqui nolo in laudes ejus ampliùs ire, nec illo me includere ludo, in quo nō tantùm vereor ne me parcum putet, quàm ne nimium, si per te intellexerit. Nā, ut ait Euripides:
Laudati enim boni viri, quodammodò
Laudantem odio habēt, laudet ille si nimis.
Ità est. Dedignatur illas, nec verecundia ejus patitur. Ad institutum transeo. Percūctabatur blandè & variè. Primùm, caussam & itineris, & intentionis. Quam ubi probè protuli: jam de patriâ & magnis Belgiæ animis investigabat. Eâ occasione cùm Bibliothecæ mentionem facerem, quam magnificè eum struere & instruere Famâ percepissem: voluit primâ à meridie horâ ad eum reverterer, comitaturus me ad illam. Dum comiter id ego excuso ac recuso; Nulla verba, inquit: ità volo & debeo. Postquàm plures sermones feceramus, decedo; reversurus tamen bonâ fide, ut eram vadatus.
Bre-

Breviter; Revertor, & ipſe lecticam intrans quæ ſolum eum capiebat, me rhedã adſcendere jubet. Sic igitur ipſe delatus & ego ad locum devectus: deſcendimus, & lateri ejus (ità juſſerat) jũctus, inimus. Cœpi autem oculos avidè circumferre ad libros, ad ædificia, ad ſtructuras, ad humanæ vix potentiæ monumenta. Stupeo dum narro: & necdum ſatis oculis meis credo, atque idemtidem me an viderim interrogo. Ducor per omnia & ſingula. Quid primùm mirer? Non refero pompam & ſelectiſſimam librorum apparatũ: erat numerare XIV. millia voluminũ manuſcriptorum. Quot de aliis? Summe Deus. Innumerabilia. in omni genere, in omni ſcientiâ, in omni ſtilo. Ibi SS. Patres Græci, Latinique; Hîc Theologis illîc Iuriſcõſulti, Philoſophi, Medici; iſtîc Mathematici, Aſtronomi; Alibi Oratores, Poëtæ, Hiſtorici, Grammatici. Clariſſimi VINCENTII PINELLI BIBLIOTHECA, quam apud omnes rumor & fama commendaverat tamquàm rarum theſaurum, & quã Cardinalis poſt

ipſius è vitâ diſceſſum comparaverat: angulum aliquem occupabat & uiceſimam partem. Reliqui ex omni Orbis plagâ aſportati & conquiſiti. Nam ſunt quibus illam curam Prudentiſſimus Princeps curæ commiſit: aliis Orientem, aliis Occidentem, aliis Septentrionem, aliis alium mundi angulũ ad Bibliothecas Bibliopolarumq́ue officinas perluſtrandas, ſi quid deeſſet. Hi vero nullum majus gratiuſve munus Antiſtiti adferre poſſunt, quàm rariorem & electiorem librum. Iam imagines, & Divorum, Magnorum, Illuſtrium, Doctiſſimorumq́ue virorum veræ ac vivæ effigies in ſummitate per circuitum depictæ; quo elogio explicabo? Nihil illis artificioſius, nihil pulchrius. Illam è Græciâ acceperat, alteram è Syriâ, ex Aſiâ, alteram è novo mundo. Erant etiam quas ingenioſiſſimus Antiſtes collegerat ex annulis aureis & numiſmatibus. Quo tendo? Ob excellentiam, ob magnitudinem operis pulchritudinemq́ue, *Videmur fabulis ſimilia dicere*, (ut cum Chryſippo loquar) *neq; pro homine, aut humana iſta*

natu-

natura loqui. O rarum. ô magnum opus. ô memoriæ litterisque mandandum. Sed non licet in laudes ejus ire; ad inceptum magis redire: Facio. Cùm hæc oculis omnia libassem, Cardinalem intuens; O Illustrissime Princeps. inquã: Initium operis mirer an finem? Ineffabile est quod incepisti: quid erit quod perficies? Spiritum, sanguinem, & patriã recipere Musas cogis, quas priorum temporum immanitas exsiliis puniebat. Et quidni exclamo? Perierunt litteræ, ut solus restaurares. Patronos illæ earumque cultores amisêre, ut solus omnium esses. Ad extremam necessitatẽ devenêre, ut ad summam dignitatem exaltares. Omnẽ antiquitatis memoriam superasti, litterarum adfectu. Quantùm Sapientiæ amatores, tibi debebunt? Non servient in posterum sed dominabuntur. Adeò ut si iterum in fatis sit Remp. Litterariã adfligi & ægrotare: optaverint hoc eam modo turbari & collidi. Felices illæ illique, & verè felices O nerasti successores tuos reliquosque Principes, imò & Posteros nostros:

ſed ſuaviter oneraſti. Hi enim ab illis exigent, ut eadem audire mereantur; & illi, quòd non audiant, indignabuntur. Dediſti exemplum Bonis Principibus, qui eadem facere recognoſcerent: Malis, quæ facere deberent. Plura eodem impetu proferebam; ad quæ, ut ad omnia, modeſtè Antiſtes reſpondebat. Aliò me ducit, abducitque: & quid ibi erat, do ſine colore aut fuco. In ipſâ domo cubicula præparata, quæ ſtudioſi, obtentis libris, ſtudiorum cauſſâ adirent. Ibi menſa, ſedes, ceteraque quæ optaret quiſpiam, ſi quid adnotare, exſcribere, colligere velit. Ampliùs. Erat etiam majus aliquod honeſtiuſque cubiculum reliquis, ornatũ politumque ſacris tabulis; aulæiſque ſplẽdido parietes apparatu obtendebantur. intantum: ut nullum in Optimi Antiſtitis Aulâ, quod hoc pulchritudine æquaret. Ne mireris. Pietatem magis & modeſtiam præfert, quàm pompam: ut ſit ad par vos penates laremque anguſtum, humilitatis tranquillitatiſque exempla referre, ex Antiſtitis domo. Nihil eam ornat

præ-

præter CHRISTI-DEI, MATRIS-VIRGINIS, aliorumque divorum devotæ statuæ imaginesque, & quòd summum est, ipsa Præsulis Ignea Virtus. Stupeat, & bis stupeat Orbis: o mi Cogghe. Quidni? Quidni stupeat ad Modestiam tanti Præsulis qui ex Illustrissimâ Principū familiâ, inter Purpuratos Patres præcipuus, inter Præsules potentissimus? Hoc igitur cubiculū, jā à me nominatū, nobilioribus patet ad quod secederent. In hoc verò qui libros petentibus administrarēt: magno quidam sustentantur præmio; quibus suprema cura illis advigilare, & expeditos se promptosque exhibere. Horum regimen habet Bibliothecæ Præfectus R. D. IOAN. ANT. OLGIATVS variâ eruditione, modestiâ & ꝓbitate insignis. Sanè de Sapiētiâ hujus quis dubitabit, si hūc solum & Sapientiæ Domui, & Sapientiæ alumnis, sapientissimus Princeps præfecerit?

Verùm mi amice, adnotare te volo; me nō eligere quæ referam, eò quòd proposuerim (ut dixi) non Antistitem, sed

An-

Antiſtitis facta laudare. quamvis & illa ejuſmodi ſint, ut is optimè laudaſſe videatur, qui narraverit fidelisſimè. Attamen & hic etiam multa ſileo, multa tranſeo; cũ ſciam illa, de quibus ſilemus, tanta ſemper quanta ſunt, videri. Libri rari, & quos verè Theſauros nominemus: ſecretiùs adſervantur, nec cuique licet illos videre. Curavit autẽ Antiſtes quoſdam proferri. è quibus unus ab extremis terris delatus in ipſis arborum corticibus conſcriptus, cujus caracter ad noſtrũ Belgarum accedebat. Continebat Ioſephi Hiſtoriam de Bello Iudaico, ante mille annos (ut ſuſpicari licet) D. Hieronymi ævo à Rufino è Græco in latinum traductam. Iuſſerat eum curiosè colligari, & argenteis laminis inſculpi: ILLVSTRISS. ARCHIEPISCOPVS FREDERICVS CARDINALIS BORROMAEVS BIBLIOTHECAE AMBROSIANAE D D. Hîc ego; O Antiſtes. aio; AMBROSIANAE? BORROMAEIANAE potiùs. Et hunc ſolum D. D. à quo uno tantum opus profluxiſſe, numquàm creditura Poſteritas? At ſcio, habet

bet omnis divinitas, ut prodesse malit q̃ agnosci. Facis, & ità facis; ut nesciam an aliquis tibi in hâc virtute sit comparãdus. Ingentis enim ac præclari animi signum à posteris celebratum maximè Põpeius Magnus mõstravit, quod, militibus Imperatoris nomine eum adclamantibus, negaverit admissurum hunc se honorem, quamdiu hostium castra starent erecta. Sed aliter tu MAXIME PRINCEPS, qui ne quidem quoad Musarum hoc domicilium erexisses, imò factis jam emeritum honorem respuis. Mitte, mitte illa, inquit: Desiderio meo satisfiet si iis notum fuerit qui Musas amant; & laborem meũ penes se ament & æstiment. Notum? inquam; Planissimè. Ibit in secula, fuisse Antistitem, cui florenti & incolumi, ad summum Litteræ gradum pervenirent. Crede Theognidi;

Virtuti facilis, promptaq; fama venit.

Nec minùs illa latet quam lux. atque adeò scias

— *cunctis* TVA *gentibus esse* FACTA *palàm*. Claudian.

Et

Et ô ingratum mortalium genus nisi sentiat, nisi æstimet, nisi veneretur, nisi ex opere tuo & virtute humanas laudes metiatur. Perge, perge: nec unquam in hoc opere, aut animus tuus lassetur, aut fortuna. Perge immortalibus monumentis Posteritati consulere, humanum genus devincire, famæ atque existimationis tuæ limen extendere, quæ angustis hujus Orbis limitibus concludi non potest. Omnium mentes occupasti, omnes in te unũ cõvertisti; & arduũ hoc Immortalitatis & Gloriæ & Exempli opus, quod nõ imitari quisquam Principum audeat: accendit omnem ætatem, oculos omnium erexit, occupavit, excitavit. Accendit verè mi Cogghi; illosque compulit discere, magna etiam & numquàm intermoritura exempla cadere in hoc ævum. Accendit, dico, erexit, occupavit, excitavit. Etenim quis Musarum titulum sibi inscribit, & Patronum illum non adscribit? Quis earum limen tetigit, & Mæcenatem eum non poscit? Quis mente Heliconem adit, & fautorem illum non reperit?

perit? Pauci sunt, imò nulli sunt, cùm etiam illos juvet qui colorem tantùm habent & speciem. Solum Litterarum nomen velamenta præfert, quibus aliquid quisquam ab eo exoret. Et profectò legi plures re & nomine Magnos Principes, liberales fautoresque litteratis & litterarũ studiis extitisse: non ausim tamen dicere superasse, vix æquasse. Optimus Principum TRAIANVS clarè satis adfectum in litteris monstravit; eas propè extinctas refovendo. Argumentum reliquit, & à viris doctis quibus ævum illud claruit, & à Bibliothecâ Vlpiâ, quam liberaliter iis extruxit. Græcia suos quoque habuit, & HIERO sese offert Syracusanorũ Rex, qui in Archimélo poëta regiam liberalitatem cumulavit. Non minoris ardoris in ingeniis fovendis, ALEXANDER se præbuit. Quid inter Romanos P. SCIPIO Africanus, quàm gratus in Ennium? Quid Alter Scipio Africanus qui Polybium Panætiumq; ità caros habuit, ut nũquàm à latere d miserit. Aliter AVGVSTVS, quàm propensus in eos? Dicet Romanus Lyricus.

cus. Innumeri alii, ut: VESPASIANVS, DIOCLETIANVS, ANTONINVS CARACALLA, ANTONINVS PIVS At hi, si dabant, aut ex publico dabant, aut uni paucisq; benigni apparebant. Dissimilis planè noster Antistes, qui si illis comparetur privatus censebitur, quos tamen omnes simul, liberalitate & favore in totum illorũ genus superavit & vicit; O mirũ virum. Vt Luna & Stellæ, ad hoc tantùm ut in tenebris luceant: sic Natura illum dedisse videtur, ut beneficus sit, sine aliâ adfectatione aut adspectu, in tenebris his (ut quidam invidè) Reip. Litterariæ. Hoc salvem, proferam jurejurando firmatũ verbum veraci mente; peperisse nullam intra centum annos civitatem benevolo virum magis beneficum pectore, largiorẽque manu. Nolo referre, quos extra Insubriæ, extra Italiæ solum appulsos promovit, quorum præcipuum me jure pronunciarem, qui tam brevi spatio quo in cognitionem admissus, tam largiter benignitatis ille fons & verè fons in me fluxit: ut nullam lamentãdi caussam habeã,

non

— non apparere labores
Nostros, & tenui deducta poemata filo,
Cùm speramus eò rem venturam, ut simul atque Horat. epist.
Carmina rescierit nos fingere, commodus ultrò
Accersat,

& vetet egere, & cogat scribere. Nã cogit certè scribere tam benignus animus, quem æternùm mihi benignum spero & voveo. O me beatum si fecerit. Hoc de me. De aliis justè negaui me dicturum, eò quòd nullus esset finis. Ad juventutis hunc florem & ingeniorum nobilitatem venio, quæ in Collegio hoc educatur. Educatur? Apagè hanc vocem. nimis parum dixi. Excitatur magno stipendio, quod ne magnus quisque recuset. Ità namque cum Symmacho arbitratur: præclaras artes honore nutriri, atque eam esse florentis Reip. speciem, quòd scientiarum professoribus, præmia opulenta conferantur. Delecti tamen hi sunt, quemadmodùm significavi, & inter eos magni sunt, pluresque futuri. Enimverò in eo

summa

ſumma etiam Antiſtitis diligentia laudanda, quòd non tantùm excultos admittat: ſed alios ad excolẽdum ali curet. Vt quod in aliis Principibus admiramur & deoſculamur qui doctos patiuntur foventque: in hoc utrumque debeamus; & quòd patiatur & quòd cogat, ſtimulis exhortationum & præmiorum. Novit enim optimè Catonis ſenioris ſapientiſſimam vocem; Animos juvenum præmiis, ſi promeritis pendantur, ad virtutem accendi: ſi detrahantur, elangueſcere. Et virtutem etiam à juventute auferri, ſi honore ſuo fraudetur. At hîc magni ſunt, variis imbuti ſciẽtiis linguiſque, Muſarum & ipſius Sapiẽtiæ proles aut alumni, qui nôrunt ſcribere *vincta oratione, & ſoluta*. Qui illi? Vellem mihi innotuiſſent quos monſtrabat. Interim libentiùs prætereo, quòd majori præcone illos dignos cenſeam. Vnum nominabat, BENEDICTVM SOSSAGVM, Muſis & Suadæ amicum, ut ſcripta & verſus docebunt, quos propediem publicaturos adfirmavit. Adhuc moror? Quaſi verò Memoriâ ſingula cõſequi poſſim.

ſim. Anne hæc ſufficiunt quæ retuli, ut æternùm veneretur? Imò quantum non merentur honorem? Repeto, quod anteà ſæpè. Habet ipſe ſolus, & in hoc ſolo habemus; quod in omnibus junctim Principibus admirari potuimus. Potentiſſimum, & geſtis verè Magnum Etruriæ Ducem LAVRENTIVM MEDICEM poſtremò fortè objiciet quiſquã. Et quàm ad hoc pperabat, quod noſter? Sed properabat, non acceſſit. Ipſi litteræ & litterati percari fuêre. Ille enim eſt, qui Magna illa Nomina MARSILIVM FICINVM, ceteroſque ſeriis ſcriptis claros fovit, coluit, amavit. Ille eſt, qui politiſſimum & æternum Etruriæ decus ANGELVM POLITIANVM in amoribus habuit. Quid ipſam doctrinam? Lege Politiani Epiſtolarum libros, mi Cogghi, & diſce. Imò diſce & nũc ex voce, quam inter extremas præclariſſimam edidit. Advocaverat eximium Corculum, IOAN. PICVM, Illum Mirandulæ Comitem, ut iterum ei liceret frui divino iſto animo priuſquàm Naturæ ſatisfaceret. nam graviſſi-

mo & ſupremo morbo laborabat. Advênit, & ſimul cum Politiano lecto adſedit. Poſt varia conloquia, DVX: O MEI. inquit; VTINAM SVMMVS ILLE DEVS, AD HOC TANTVM ME RESERVASSET, VT BIBLIOTHECAM VESTRAM ABSOLVEREM. O deſiderium. Extruebat eam, & pænè finierat, in ipſo Florentiæ Civitatis meditullio. Sed deſiit, & ſimul virtus & fortuna ſuæ gentis in aliquot annos. Nam pulſi Medicéi, & litterarũ iſte Theſaurus (heu furor.) & omnis illorũ memoria ab infelici populari ſtatu deleta. Nõ ignoro nihilominùs, pòſt reſtaurata plurima fuiſſe, & reſtituta, poſtquàm hi reſtituti. At videamus nunc iterum Antiſtitem noſtrum: potentiâ & divitiis imparem, factis ſuperiorem. Ille expulſos è Græciâ excepit, tenuit, coluit, fovit? Hic & advenientes juvat, & ſuos cogit. Placet hîc iterum exclamare, MAGNE ANTISTES. vivas & feliciter vivas.

Vivas Olympi lumen amabile
Vivas ſuperbis celſus honoribus:
Fautrice FAMA ſic beatus,

Aethe-

Aethereas meditare ſedes.

Scio & intellexi ab eo quanta adhuc præmia majora parabit, ſi per vitam liceat. Non enim poteſt ampliùs abjecta & humilia cogitare, qui novit de ſe ſemper loquendum.

TRES horas cõſumpſeramus, in hoc Muſarum domicilio: cùm flexo in veſperam die, tempus admoneret domum petere. Redimus ad palatium. Ibi viſum etiam Cardinali domeſticas ſuas curioſitates oſtendere. Sed cùm per ſingula cubicula deducor, cœpi ego mecum quærere de Bibliothecâ, quam privatim poſſideret Sapientiſſimus Præſul; cujus tamen ſpecies nullibi appareret. Animadvertit: & ad me; Quid ſtupes aut hæres? inquit. Audacter ego apud Humaniſſimum Principem. Nihil celo, aio, ô Antiſtes. Vbi Bibliotheca? Ille ſtatim ſubridẽs; Bibliotheca? inquit. Rectè quæſiiſti. Sed excidit ne, quod olim crebrum & in vulgari ſermone; *Scientiam omnem in meditatione conſiſtere?* Hactenus percurri quæ volui; at nunc eadem mihi ruminantur. Iu-

venilis mea ætas, æſtu aut furore quodam hauſit, quòd utile mihi in omnem ætatē? Quid quòd & laborioſa dignitatis officia, lectionem omnem amoveant? Si tamen ultra concubium aut ante diluculum ſuffurer aliquot, à publicis negotiis, momēta; ea aut dictationi aut ſcriptioni dātur. Profectò ut Craſſum ſeverum, edidiciſſe libros omnes crederes. Novit in tuto eſſe, quod animo impreſſum; nec niſi cum vitâ eripi. Quàm ſæpe librorum fiducia in culpâ ut Memoria minùs exerceatur? Sēper illi in animo Antiſthenis hoc egregium, amico amiſſos Commentarios deploranti, reſponſum; *Oportuit illa animo potiùs, quàm Chartis inſcribere*. Non plus ſe ſcire exiſtimat, quàm Memoriâ tenet. Et cum Socrate, litteras quas vulgus putat repertas juvandæ Memoriæ, credit officere. Sic antiquitus ſapientes, ſi quid dignum cognitu audiiſſent, ſi quid legiſſent: animo potiùs, quàm litteris inſerebant. Benè hic Princeps ad eorum exēplum, Memoria illi liber, quæ illicò ſine impedimento ſiſtit, quidquid impreſſum

anteà

anteà, Quidquid Græcia, quidquid Latium, quidquid reliquæ Orbis partes, per alumnos suos profuderunt, tamquàm ex tabulâ ad nutum repræsentat. Nec effœta tamen hæc illi mater Memoria. Sobolem parit; & libris destituta, libros tamquàm liberos producit. Ad illos te voco: septẽ justa volumina sunt, quæ Modestissimus Princeps in vitâ suâ publicari vetuit; ne tamquàm altera Niobe, superbire hoc septeno prolium numero videretur. In Bibliothecâ tamen Ambrosianâ adservari permisit, ne labor ille periret, maximo damno Rei Litterariæ. In iis omnes sciẽtiæ reconditæ: Iis Philologiam, Phisiologiam, Philosophiam, Theologiam; & quidquid denique sub intellectum nostrũ cadit, complexus est. O verè sacrarium scientiarum. O verè penuarium. Iam prima post Solis occasum hora sonuerat, & rogavi bona veniâ ab illo dimitti. Fecit planè ex voto, imò ultra votum. Nam complexus me, litteras mihi tradidit quas Romæ Principibus quibusdam viris darem, & alteras Reverendissimo nostro

Et ô ingratum mortalium genus nisi sentiat, nisi æstimet, nisi veneretur, nisi ex opere tuo & virtute humanas laudes metiatur. Perge, perge: nec unquam in hoc opere, aut animus tuus lassetur, aut fortuna. Perge immortalibus monumentis Posteritati consulere, humanum genus devincire, famæ atque existimationis tuæ limen extendere, quæ angustis hujus Orbis limitibus concludi non potest. Omnium mentes occupasti, omnes in te unũ cõvertisti; & arduũ hoc Immortalitatis & Gloriæ & Exempli opus, quod nõ imitari quisquam Principum audeat: accendit omnem ætatem, oculos omnium erexit, occupavit, excitavit. Accendit verè mi Cogghi; illosque compulit discere, magna etiam & numquàm intermoritura exempla cadere in hoc ævum. Accendit, dico, erexit, occupavit, excitavit. Etenim quis Musarum titulum sibi inscribit, & Patronum illum non adscribit? Quis earum limen tetigit, & Mæcenatem eum non poscit? Quis mente Heliconem adit, & fautorem illum non reperit?

perit? Pauci sunt, imò nulli sunt, cùm etiam illos juvet qui colorem tantùm habent & speciem. Solum Litterarum nomen velamenta præfert, quibus aliquid quisquam ab eo exoret. Et profectò legi plures re & nomine Magnos Principes, liberales fautoresque litteratis & litterarũ studiis extitisse: non ausim tamen dicere superasse, vix æquasse. Optimus Principum TRAIANVS clarè satis adfectum in litteris monstravit; eas propè extinctas refovendo. Argumentum reliquit, & à viris doctis quibus ævum illud claruit, & à Bibliothecâ Vlpiâ, quam liberaliter iis extruxit. Græcia suos quoque habuit, & HIERO sese offert Syracusanorũ Rex, qui in Archimelo poëta regiam liberalitatem cumulavit. Non minoris ardoris in ingeniis fovendis, ALEXANDER se præbuit. Quid inter Romanos P. SCIPIO Africanus, quàm gratus in Ennium? Quid Alter Scipio Africanus qui Polybium Panætiumq; ità caros habuit, ut nũquàm à latere d miserit. Aliter AVGVSTVS, quàm propensus in eos? Dicet Romanus Lyri-

cus.

cus. Innumeri alii, ut: VESPASIANVS, DIOCLETIANVS, ANTONINVS CARACALLA, ANTONINVS PIVS At hi, si dabant, aut ex publico dabant, aut uni paucisq; benigni apparebant. Dissimilis planè noster Antistes, qui si illis comparetur privatus censebitur, quos tamen omnes simul, liberalitate & favore in totum illorũ genus superavit & vicit; O mirũ virum. Vt Luna & Stellæ, ad hoc tantùm ut in tenebris luceant: sic Natura illum dedisse videtur, ut beneficus sit, sine aliâ adfectatione aut adspectu, in tenebris his (ut quidam invidè) Reip. Litterariæ. Hoc saltem, proferam jurejurando firmatũ verbum veraci mente; peperisse nullam intra centum annos civitatem benevolo virum magis beneficum pectore, largiorẽque manu. Nolo referre, quos extra Insubriæ, extra Italiæ solum appulsos promovit, quorum præcipuum me jure pronunciarem, qui tam brevi spatio quo in cognitionem admissus, tam largiter benignitatis ille fons & verè fons in me fluxit: ut nullam lamentãdi caussam habeã,

non

— *non apparere labores*
Nostros, & tenui deducta poemata filo,
Cùm speramus eò rem venturam, ut simul atque Horat. epist.
Carmina rescierit nos fingere, commodus ultrò
Accersat,

& vetet egere, & cogat scribere. Nã cogit certè scribere tam benignus animus, quem æternùm mihi benignum spero & voveo. O me beatum si fecerit. Hoc de me. De aliis justè negaui me dicturum, eò quòd nullus esset finis. Ad juventutis hunc florem & ingeniorum nobilitatem venio, quæ in Collegio hoc educatur. Educatur? Apagè hanc vocem. nimis parum dixi. Excitatur magno stipendio, quod ne magnus quisque recuset. Ità namque cum Symmacho arbitratur: præclaras artes honore nutriri, atque eam esse florentis Reip. speciem, quòd scientiarum professoribus, præmia opulenta conferantur. Delecti tamen hi sunt, quemadmodùm significavi, & inter eos magni sunt, pluresque futuri. Enimverò in eo

summa

summa etiam Antistitis diligentia laudanda, quòd non tantùm excultos admittat; sed alios ad excolēdum ali curet. Vt quod in aliis Principibus admiramur & deosculamur qui doctos patiuntur foventque: in hoc utrumque debeamus; & quòd patiatur & quòd cogat, stimulis exhortationum & præmiorum. Novit enim optimè Catonis senioris sapientissimam vocem; Animos juvenum præmiis, si promeritis pendantur, ad virtutem accendi: si detrahantur, elanguescere. Et virtutem etiam à juventute auferri, si honore suo fraudetur. At hîc magni sunt, variis imbuti sciētiis linguisque, Musarum & ipsius Sapiētiæ proles aut alumni, qui nôrunt scribere *vincta oratione, & soluta*. Qui illi? Vellem mihi innotuissent quos monstrabat. Interim libentiùs prætereo, quòd majori præcone illos dignos censeam.
Vnum nominabat, BENEDICTVM SOSSAGVM, Musis & Suadæ amicum, ut scripta & versus docebunt, quos propediem publicaturos adfirmavit. Adhuc moror? Quasi verò Memoriâ singula cōsequi possim.

ſim. Anne hæc ſufficiunt quæ retuli, ut æternùm veneretur? Imò quantum non merentur honorem? Repeto, quod anteà ſæpè. Habet ipſe ſolus, & in hoc ſolo habemus; quod in omnibus junctim Principibus admirari potuimus. Potentiſſimum, & geſtis verè Magnum Etruriæ Ducem LAVRENTIVM MEDICEM poſtremò fortè objiciet quiſquã. Et quàm ad hoc ꝑperabat, quod noſter? Sed properabat, non acceſſit. Ipſi litteræ & litterati percari fuêre. Ille enim eſt, qui Magna illa Nomina MARSILIVM FICINVM, ceteroſque ſeriis ſcriptis claros fovit, coluit, amavit. Ille eſt, qui politiſſimum & æternum Etruriæ decus ANGELVM POLITIANVM in amoribus habuit. Quid ipſam doctrinam? Lege Politiani Epiſtolarum libros, mi Cogghi, & diſce. Imò diſce & nũc ex voce, quam inter extremas præclariſſimam edidit. Ad vocaverat eximium Corculum, IOAN. PICVM, Illum Mirandulæ Comitem, ut iterum ei liceret frui divino iſto animo priuſquàm Naturæ ſatisfaceret. nam graviſſi-

mo & ſupremo morbo laborabat. Advênit, & ſimul cum Politiano lecto adſedit. Poſt varia conloquia, DVX: O MEI. inquit; VTINAM SVMMVS ILLE DEVS, AD HOC TANTVM ME RESERVASSET, VT BIBLIOTHECAM VESTRAM ABSOLVEREM. O deſiderium. Extruebat eam, & pænè finierat, in ipſo Florentiæ Civitatis meditullio. Sed deſiit, & ſimul virtus & fortuna ſuæ gentis in aliquot annos. Nam pulſi Medicéi, & litterarũ iſte Theſaurus (heu furor.) & omnis illorũ memoria ab infelici populari ſtatu deleta. Nõ ignoro nihilominùs, pòſt reſtaurata plurima fuiſſe, & reſtituta, poſtquàm hi reſtituti. At videamus nunc iterum Antiſtitem noſtrum: potentiâ & divitiis imparem, factis ſuperiorem. Ille expulſos è Græciâ excepit, tenuit, coluit, fovit? Hic & advenientes juvat, & ſuos cogit. Placet hîc iterum exclamare, MAGNE ANTISTES. vivas & feliciter vivas.

Vivas Olympi lumen amabile:
Vivas ſuperbis celſius honoribus:
Fautrice FAMA ſic beatus,

Aethe-

Aethereas meditare sedes.
Scio & intellexi ab eo quanta adhuc præmia majora parabit, si per vitam liceat. Non enim potest ampliùs abjecta & humilia cogitare, qui novit de se semper loquendum.

Tres horas cõsumpseramus, in hoc Musarum domicilio: cùm flexo in vesperam die, tempus admoneret domum petere. Redimus ad palatium. Ibi visum etiam Cardinali domesticas suas curiositates ostendere. Sed cùm per singula cubicula deducor, cœpi ego mecum quærere de Bibliothecâ, quam privatim possideret Sapientissimus Præsul; cujus tamen species nullibi appareret. Animadvertit: & ad me; Quid stupes aut hæres? inquit. Audacter ego apud Humanissimum Principem. Nihil celo, aio, ô Antistes. Vbi Bibliotheca? Ille statim subridẽs; Bibliotheca? inquit. Rectè quæsisti. Sed excidítne, quod olim crebrum & in vulgari sermone; *Scientiam omnem in meditatione consistere?* Hactenus percurri quæ volui; at nunc eadem mihi ruminantur. Iu-

venilis mea ætas, æstu aut furore quodam hausit, quod utile mihi in omnem ætatẽ? Quid quòd & laboriosa dignitatis officia, lectionem omnem amoveant? Si tamen ultra concubium aut ante diluculum suffuret aliquot, à publicis negotiis, momẽta; ea aut dictationi aut scriptioni dãtur. Profectò ut Crassum severum, edidicisse libros omnes crederes. Novit in tuto esse, quod animo impressum; nec nisi cum vitâ eripi. Quàm sæpe librorum fiducia in culpâ ut Memoria minùs exerceatur? Sẽper illi in animo Antisthenis hoc egregium, amico amissos Commentarios deploranti, responsum; *Oportuit illa animò potiùs, quàm Chartis inscribere*. Non plus se scire existimat, quàm Memoriâ tenet. Et cum Socrate, litteras quas vulgus putat repertas juvandæ Memoriæ, credit officere. Sic antiquitus sapientes, si quid dignum cognitu audiissent, si quid legissent: animo potiùs, quàm litteris inserebant. Benè hic Princeps ad eorum exẽplum, Memoria illi liber, quæ illicò sine impedimento sistit, quidquid impressum
anteà

anteà, Quidquid Græcia, quidquid Latium, quidquid reliquæ Orbis partes, per alumnos suos profuderunt, tamquàm ex tabulâ ad nutum repræsentat. Nec effœta tamen hæc illi mater Memoria. Sobolem parit; & libris destituta, libros tamquàm liberos producit. Ad illos te voco: septē justa volumina sunt, quæ Modestissimus Princeps in vitâ suâ publicari vetuit; ne tamquàm altera Niobe, superbire hoc septeno prolium numero videretur. In Bibliothecâ tamen Ambrosianâ adservari permisit, ne labor ille periret, maximo damno Rei Litterariæ. In iis omnes sciētiæ reconditæ: Iis Philologiam, Phisiologiam, Philosophiam, Theologiam; & quidquid denique sub intellectum nostrū cadit, complexus est. O verè sacrarium scientiarum. O verè penuarium. Iam prima post Solis occasum hora sonuerat, & rogavi bona veniâ ab illo dimitti. Fecit planè ex voto, imò ultra votum. Nam complexus me, litteras mihi tradidit quas Romæ Principibus quibusdam viris darem, & alteras Reverendissimo nostro

Generali, plenas adfectu erga me & favore. Deinde rogatus insuper ab eo, Ecquâ aliâ in re gratificari posset: & respondente me neque re, neque verbis meruisse hunc tanti Antistitis adfectum; deosculatus manus, & Vale dicto, discessi, Romã sequenti die profecturus.

Dvm parvm hîc sermonem averto, plura alia pòst de eâdem re dicturus; Eccè nescio quam dulcedinem rumoremque percipiens: Quis hic, inquam, *quis est qui complet aures meas, tantus & tam dulcis sonus?* An adveniunt? Vix hæc elocutus, ingenti clamore pueri nũciant Antistitem & Litterarum Patres adventare. Surreximus: & dimissis sermonibus, simul foras prorumpimus. Tubicines præcedentes, homines demulcebant suavissimâ harmoniâ, & admonebant ad spectãdum oris potentiâ. Audiuntur ab omnibus; & confestim

Cicer. In Somn. Scip.

Vndique visendi studio studiosa *juventus*
Circumfusa ruit;

Virg Aenei.

& impetu quodam,

— quantum licuit consurgere tectis,

Claudian.

Vna

Vna replet turba facies: undare videres
Ima viris, altas, effulgere matribus ædes:

Non ætas, non valetudo, non sexus quẽquam retardavit, quominus oculos insolito pulcherrimoq́ue spectaculo replerẽt. Iam apparebat Antistes, cùm populi omnes ad ipsum respiciunt, mirabundi, faventes, & adclamantes passim sibiinvicẽ pari gaudio, pari voce; & composito plausu personantes:

—— DIVINI SIGNA DECORIS
ARDENTESQVE NOTATE OCVLOS, Virg. Aenei.
QVI SPIRITVS ILLI,
QVANTA MAJESTAS, QVAE DIGNITAS,
—— PLACIDOQVE DECENS REVERENTIA VVLTVI Ovid.

Illum Sapientiæ alumni, Musarumq́ue
—— *Chorus, & socii comitantur ovantes.* Virg. Aenei.
Comitantur, inquam, magno & splendido apparatu;
—— *ramis velati Palladis omnes.* Idem.
Præclaro ordine & incessu qui divinitatẽ præferret & sapientiam. Ego in alto loco me reposui, ut meliùs

Ouid. Pont. *Proſpicerem gaudens, quantus foret agminis ordo,*
Denſaq́ quàm longũ turba teneret iter.

Sed non poteram præ multitudine. Clariſſimus tamen Muſarum Princeps Erycius Puteanus proximus Antiſtiti, relicto ſpatio incedebat, animo verecundo, & roſeo colore ſuperfuſâ facie. Ad collũ ejus tria aurea numiſmata conſpicabantur, rara & magna dona. Eorum præcipuum Illuſtriſsimus Muſarum Antiſtes

Virg. Aenei. *Ferre ſui dederat monumentum, & pignus amoris.*

imò & venerationis. Ejuſmodi verò illud erat, ut non uno videretur illi vinclo obſtringi, maximè quia litterarum cauſſa dederat. Alterum Illuſtriſsimi Ducis Arſchotani, Vxoriſq́ue effigiem repræſentabat, quo donatus à munificẽtiſsimo principe fuerat. Tertium dicebatur ab ipſis Belgiæ Sereniſsimis Optimiſque Principibus in favoris ſignum collatum. Mira laudabiliſq; Modeſtia relucebat in ipſius inceſſu, quam hauſerat à Doctrinâ, quamquàm & à puero modeſtiſsimis moribus

im-

imbutus fuiſſet. Subſecuti, quorum locũ nec memini, nec ordinem ſervavi. Nemo dubitabit, quin primum locum ſibi vendicaret acre illud igneumq; ingeniũ DANIEL HEYNSIVS affinis meus, cui cum Homero:

— pectus prudens, animusq́; virilis.

in quo priſci Carminis Veneres agnoſcimus & veneramur. Sed prudentius ſolo nomine hunc ſignificaſſem, de quo numquàm pro ingenii dignitate loquemur. Ità in poſterum faciam, cùm ſimiles occurrerint. Notabantur etiam à me optimè, Magni hi & CC. VV. IANVS LERNVTIVS; DOMINICVS BAVDIVS, MAXAEMYLIANVS VRIENDTIVS, CORNELIVS A MARCA. Inluſtrabat certè, ille meus, ille omnium. * Vriendtius; virore & vigore animi, cui ſpiritum Muſæ, cui &

* S. P. Q. Gand. à Secretis, Poeta Laureatus.

— Phœbus artem
Carminis, nomenq́; dedit Poetæ.

Hor. Carm.

Nam quis illo, in continuâ etiam corporis adflictione, in perpetuo cruciatu, aut faciliori labore, aut feliciori ingenio,

— ſcribere plures

Idem Serm.

Aut

Idem serm. *Aut citius poßit versus?*

Neque prætereà cõtemnenda pandit, nec est illi

—— publica vena

Qui nihil expositum soleat deducere, nec qui

Communi feriat carmen triviale moneta:

Versantur in oculis, in manibus omnium. De R. D. Cornelio à Marcâ

Ouid. Trist. *Cujus inest animo patrii Candoris imago,*

& quem CL. Puteanus latini Cothurni delitium consuevit nominare: quid opus dicere? Sæpissimè à præstantissimis viris audivi, nihil eum spirare, nisi excelsum, nisi divinum. Vriendtius non rarò, ipso præsente, in has vel similes voces prorupit. Mi Corneli.

Virg. Bucol. *Sola Sophocleo tua Carmina digna cothurno.*

Ità, ità est. Nemo palmam ei Tragici stili eripiet, si quidẽ voluerit. Proinde tantò plus æstimandus, quantò plus

Ouid Trist. *Omne genus scripti, gravitate Tragœdia vincit*

Extat IEPHTE Tragedia, quæ palmæ & gloriæ sufficit; quamquam & ipse contẽ-

nat,

nat,& propediē majora promittat. Aderat & IOANNES SCHEPPERVS qui paucis ante horis (ut memini) urbem cum Principe ſuo ingreſſus fuerat. De eo niſi magnum divinumq́ue quid ſentiamus, & in litteras & in Sapientiam ipſam graviter peccabimus. Æternùm felix, & bis æternùm felix GANDA, hac prole. Item altera ſpes Magnæ Gandæ noſtræ, DAVID LINDANVS, ibi quoque incedebat. Neque prætereo etiam , qui ex aliis Belgiæ partibus confluxerant. Non deerat quippe inter Mechlinienſes V. C. GAVGERICVS RIVIVS, cujus cor abundanter rigârunt Palladii latices. Antuerpiēſes autem ut ſemper Muſis cari; ità & hîc eminebant. Ibi AVBERTVS MIRAEVS, clarus ſcriptis quæ è ſcaturigine divini liquoris hauſit. Alibi LAVRENTIVS BEYERLINCKIVS in litteris Philoſophia ac maximè in Sacrâ Theologiâ verſatiſſimus, ſummâ cum laude (ringat Invidia) Seminarij Antverpiani Præſes vigilantiſſimus. Bone Deus. qualis & quantus cum in publico conſeſſu ſentētias proprias de-

fendit

fendit contra quorumcunque etiam opiniones, aut cum aliorũ quatit validissimis arietibus ad stuporem omnium. Inde IOANNES VVOVVERVS, qui Mercurium & Musas amavit semper, coluitque. Etiã PHILIPPVS RVBENIVS ingenio magnus, & FRANCISCVS ZVVEERTIVS meus, & plures ignoti. Nec deerat meritò ex Bruxellensibus PHILIPPVS NVMAN, Cãdoris & Humanitatis Magnus Mysta; & qualem secula requirent. Quid diutiùs moror in meis Belgis? At ignosce ô Reverẽde ô Maxime Vir, PETRE PANTINE, si incautus pænè te præteribam, quem satis admirari & venerari nequimus. Tamẽ hoc innuisse, satis: nam majores tuæ virtutes, quàm ut hîc breviter libem. Hispania suos quoque habebat in hoc Triumpho: & inter eos ANTONIVS QVINTANA DVEGNES eminuit; Vir Græcè Latineq; peritissimus, & qui scripta condit Eloquẽtiæ quodam exquisitissimo nectare. Iudicium illi tam singulare tam sincerum in censendis alienis, ut animam scriptorum te videre jure merito posśis existimare, cùm

Antonius Quintana Duegnes apud Catholicum Regẽ PHIL. III. Consilii Italici Regens

cùm eorum ille Dignitatem ſine adfectu, proſequitur. A Conſilio Italiæ Maximus Rex eũ eſſe voluit ob inſignem Iuris cognitionem, & ſummam in omnibus rebus prudentiam. Vir prorſùs ad Rempublicam & Litteras factus. Comes illi PETRVS MANTVANVS, vir in omni Hiſtoriâ verſatiſsimus, cujus VINDICIÆ VERITATIS HISTORICÆ A IOANHE MARIANA VIOLATÆ, mox oculos animumque omnium ſubituræ. Ad Italos venio, & illos qui ex Italiâ. inter quos Belgæ quidam. Hîc M. ANTONIVS BONCIARIVS Italiæ ille Phœnix, qui fuligine ſordibuſque jacentis vulgi altior, non terræ ſed cæli pars apparet, aſtrum apparet Dii ingenii radiis accendẽdo quem calefacit. Expertus, expertus ego, & mentem hãc, dum ei ad eſſem, Suadæ quadam divinitate, in æternum ſui accendit amorem. Stipabatur quidem deformi corpore; ſed quod præclarus animus, magno Virtutũ ornaret & Eruditionis ſplẽdore. è quibus Prudentiam alii, alii Eloquentiam; ego iſtas & alias, & in primis Humanitatẽ deoſculor,

Petrus Mãtuanus Illuſtriſs. Principi Comitiſtabuli à Secretis.

oſculor, quam præſens largiter uſurpavi. Certè exemplar apparet editus, in quo Æterna Mēs *fortaſſe voluit* (dicit pro me Seneca Epiſt. LXVI.) *nobis oſtendere, poſſe ingenium fortiſſimum ac beatiſſimum, ſub qualibet cute latere*. Pervicit cuncta obſtantia; & à corpuſculi ſui deſpectu, tranſiit ad reliqua deſpicienda. Erraſſe videtur, qui ait;

Gratior eſt pulchro veniens è corpore Virtus.

Enimverò ſatis excellens ſui decus eſt; & corpus ſuum inluſtrat, nullo addito honeſtamento. Proximus illi Concivis ſuus, Communis noſter amicus IOANNES BAPTISTA LAVRVS; cui amabile ingenium, variæ Eruditionis & ſcriptorum quadam divinitate immortale. Sed ten' ego ſileo Optime Perfectiſsimeque IOANNES BAPTISTA SACCE, in cujus animo, habitu, vultu, cæleſtia dona relucebant? Fateor lubens; vix hucuſque potui, & ſæpiùs conatus, repreſſerūt me Diæ tuæ dotes animi & corporis. Etenim, SACCE, magnus es & haberis. Quid enim primùm dicā?

Vir-

Virtutem in animo, Majestatem in vultu? Apposité de illo usurpare possumus, quod aliquis olim,

Effictus ex Iove ramus.

Corpore erectus, vultu decorus, eloquẽtiâ promptus, ingenio & memoriâ validus. Et vin' verbo absolvam? Non parẽ Insubria daret, nisi non dissimilem fratrem Natura ei dedisset BONIFACIVM, quem solũ nomen commendat. Et quàm gratus existit semper & extitit iis qui nomen & decus litterarum cultu adepti? C. V. IVSTVS LIPSIVS, non amavit solùm, sed etiam coluit. Quid PVTEANVS? Præsidium suum vocat, delicias & amorem suorum studiorum. At BONCIARIVS, Genium suum Cælestem nominat, & nemini magis devinci se, gratus fatetur. Egregium etiam ordinem aliqui Belgarum ducebant, qui è diversis Italiæ oris convenerant. Ticino, Doctissimus Senex * HENRICVS FARNESIVS, cujus lepôres mellitamque ambrosiam, tot lustra Itali venerati; & suavissimus IOANNES TVBATIVS, Puteani

* Eburo. Publicus Ticini pfessor.

teani scriptis clarus. Româ, * IVSTVS RYCRIVS meus, animi & ingenii solertiâ magnus mehercule adolescens,

* Gandensis.

Cui Laurus intactos honores,
Palladia peperit Palestra.

Sed excidisset propemodum Phœbi Musarumque Musei Præfectus, Doctissimus ANTONIVS OLGIATVS, cum numerosâ Sapientiæ prole, quæ eum insequebatur; & qui agmen hoc, variis scientiis, diversarumque linguarum peritiâ ditati, ornabant. Visus etiam V. C. * LVDOVICVS SEPTALIVS, cui datum reclusis aditis lustrare Minervæ penetrale. Te vero, ô * IACOBE VALERI, quo loco censebo? Validus attico lepôre & vigore, decorabas hanc pompam. Sed & motum lorica, pectora tua roborabat. Et quantum Antiquitas tibi debebit; si impius parens, prolem tuam non suppresseris nimiæ modestiæ specie? Age, ne invidias nobis, posterisque tuis, hunc fructum, quem è tuis exspectamus lucubrationibus. Aderat & * PETRVS CANTONIVS, altus scientiarum pullus; amore & admiratione dignus

* Philosophiæ Moralis Publicus Mediolani Professor.

* Mediol. I. C.

* Mediol. I. C.

gnus apud Musarum Antistitem. Notabatur deinde à me alibi, Humanissimus RAPHAEL MONTORPHANVS cui mirum, quantùm litteræ cordi sint, inter papyraceas Syrtes & publicas officii sui rationes: Cupit certè in Nos Belgas id declarare, qui numquàm sufficienter amplectemur tam promptam erga nos omnes humanitatem, qui vel hæremus hîc vel huc more & amore declinamus. Exemplo sumus, Ego, CORNELIVS A BREDA, fidus Puteani Achates, & Iucundissimus ANDREAS HETTENVS, Pegaseo uterque satiatus liquore, & tam arcto Phœbeo Vinclo mihi vinctus; ut nullo casu, nullâ fortunâ, ex animo delendus sit utriusque animus: quos maximâ benevolentiâ prosecutus est & prosequitur. Tandem, vidi etiam IOAN. AMBROSIVM BIFFIVM, ambrosium fundentem nectar ex aureo flumine Etruscæ Eloquentiæ. ità plurimi censent, consentiente Antistite: Adhærebat verò ei PETRVS SALVIVS ASSISINAS, Artico & Etrusco quoque eloquio præstans. Concluderem sanè, ni Nobilis-

ſimus juvenis prohiberet, ILLVSTRISSIMVS COMES VITALIANVS, VICECOMES BORROMAEVS, qui egregius æmulator virtutũ Magni & Illuſtriſſimi Ioannis Pici Mirandulæ Comitis; clarum ſe reddit verâ Virtute & Sapientiæ lampade, quâ eum Minerva beavit. At nunc, vel coactus concludo hunc Numerũ priuſquàm me innumerus concludat Labyrinthus. Erant enim, erant innumeri alii, Ingenio Magni, & extremâ laude digni, Belgæ, Itali, Hiſpani, Germani, Galli, mihi ignoti, qui plurimos nominatos præcedebant excedebantq́;. Hanc porrò, Nobiliſſimam Pompam advenientem, excepêre varia lætitiæ ſigna. Tubicines ſexum omnem ad gaudium concitabant, & ſuavitate & potentiâ inſtrumentorum. Alii denique, canoris tibiis emittebant cantũ. Atque ità, ut in tibiarũ flatu, Citharæ pulſu, & in illo ad citharam cantu, dulcedine ſuperare videbantur Marſiam, Thamiram, & Orpheum, Prope Muſarum aulam, Theatrum etiam erectum, in quo cãtantium turba (ejus medium PETRVS

KARRE

KARRE tenebat, Cortracensis, Musicâ & Modestiâ insignis,) interpositis tibiis, eâ cōcordiâ & suavitate psallebant, ut à Cœlesti edocti Musâ viderentur: eâ arte & felicitate, ut singulorum illîc laterēt voces, omnium apparerent. Mulcebāt aures, movebant animos; ut pænè Homericum illud mihi cōtigisset, ut dulcedine illâ mutus factus, lapidem pro homine reddidissem. Aptaverant autem harmoniam ad hæc verba.

MAXIME PRINCEPS,
OPTIME PRAESVL:
Se tibi Virtus
Obtulit ultrò
Diva sereno
Lucida vultu
Cùm tibi primos
Stamina vitæ
Pollice dextro
Neret in annos
Parca benigna.
Se tibi Virtus
Vovit, & uni
Diva sereno

Lucida vultu
Cùm juveniles
Aurea vitæ
Parca faventi
Pollice pensa
Ducit in annos.
Cùmque virilis
Pondere major
Fusus in orbem
Conglomeratur,
Crescit & ipsa
Et tibi semper
Fida sodalis
Ad latus hæret.
Hinc tibi sacra
Mithra, Pedumq́;
Hinc tibi vertex
Sidera pulsat.
Sidera nuper
Pressa Parenti.
Namque iter illac
Ille peregit
Dum sibi cœlum
Ritè petendum
Annuit altum

Nu-

Numen, & acta
Præmia vitæ
Suscipienda.
Huc tu collimas, huc omnia vota feruntur;
Sordet humus, & quidquid humum per-
repit, Alumnum
Teq; suum tollit Mater Carissima virtus.
Inclite VINDEX
Inclite TUTOR
RELLIGIONIS;
Quæ lacerata
Veste per agros
Helvetiorum
Heu miseranda
Sæpè vagata est.
Illa sinu concepta tuo respirat, & in te
Virtutes patrias, Patruelem vivere & ip-
sum
Gaudet, & adflictos librat rediviva lacer-
tos.
Unice FAUTOR
Unice CAUTOR
PIERIIQUE;
PIERIDUMQUE,
Non minùs illi

Non minùs istis
Carus, utrisque
Indubitata
Vita, Salusq́;.

Nam per te Phœbus spirat, ter tresq́; sorores;
Iuppiter & Phœbo, Phœbusq́; sororibus; ipso
Sed Iove major, major Apolline, major utroque.

Ventum erat ad limen, cum
Virg Aenei. *Ostia jamq́; domus patuerè ingentia centum,*
Sponte sua

Secedit ad vicinam aulam (hanc enim ne fas quēquam intrare, nisi Musis sacer sit) utriusque Dignitatis nobilitas, quæ honoris caussa cōcomitabatur; expectatura donec finiissent. At Sapiētiæ Antistes ingreditur, subsequente Principe Litterarum & Patribus. Nescio verò quâ audaciâ vel temeritate, ego hìc usus. Videbar namque clandestino introitu, per confertissimam frequentiam, involvere me in hanc aulam, & angulum aliquem occupare. Ascendebat Antistes solium, ceteri

ri hincinde ſubſellia, ſed Puteanus latus eius tegebat. Ingens inde ſilentium. Antiſtes adſpiciens circumſedentes Patres, ſalutat ſingulos capite reverenter μαλακαϊκῶς id eſt, σεμνῶς inclinato.

Vtq́, illi Phœbi Chorus adſurrexerat omnis; Virg. Bucol.
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora componẽs, cœpit dicere. Aures, ad ejus verba, omnium arrectæ. & quiſquis audiebat, obſtupeſcens mente corripiebatur. In me vero cor concitabatur, multò magis quàm hi qui Corybantum more deferuntur. Senſum dictorum dabo, non verba. Conabor tamen, & illa exprimere quantùm memini. non omnia: quî poſſem? Divina erant, nec à terrenâ hac mente capi poterant. Sed ſic Antiſtes.

BENE, ſapienterque, LITTERARVM PRINCEPS, LITTERARVM, PATRES: Summus & Æternus Deus providit, ut coram aliquando in hoc ſanctiſſimo domicilio graviſſimoque cõſeſſu cernerem; pro quorum omnium æternitate, & ſudaſſe & ſudare me jucundum eſſet. Quid dico? Veſtrum omnium curam jã Oratio Cardinalis.

habui,& habeo in præſentiâ, habeboque in poſterum. Si quid feci, lubens feci; ſi quid profudi, non doleo. PATRES: en vita, en opes, en fortuna mea; vobis ſerviat, & ſempiternùm ſerviat. Parum adhuc à me hucuſque præſtitum? parum adlaboratum? Plura, plura, & majora animus iſte in commodùm veſtrum ſpirat, majora molitur. Vtinam emoliatur. Vtinã adſpiret Æternus ille animus huic animo. Vtinam vitam & ſanitatem dederit. Quæ non? quæ? Sileo. Videbit orbis, videbunt urbes: vos utemini, vos fruemini. Sed pro his aliiſque, nullum ego à vobis præmium poſtulavi, nullum ambivi inſigne honoris, nullũ laudis monumentum deſideravi. Memoriâ veſtrâ, PATRES, gratique animi indicio labores noſtri alentur, ſermonibus creſcent, litterarum monumentis corroborabuntur. In animis mentibuſque veſtris omnes triumphos meos pono, omnia ornamenta honoris, monumenta gloriæ, laudiſque inſignia condi & collocari volo. Nihil me mutum delectat, nihil tacitum,

nihil denique tale quod etiam minùs digni consequi possint. Tamen fecistis: & quid non fecistis? Cui unquam Principi factum quod mihi non herè hodieq; factum? Cœlum hoc priùs è suo firmamento: quàm illa excident ex animi mei medullis. Quid desiderabatur ad pompam, ad laudem, ad gloriam? Agnosco, agnosco adfectum, amorem, studium. Fortunæ vestræ nō sufficiebat tantus sumptus, tanta pompa: cum Dynastas omnes & terræ Monarchas conuocastis, vel illi vestrâ caussâ concurrerunt ad Triumphū quem nullum ævum nullum seculum satis mirabitur. Sed etsi facilè mihi persuadeam, vobis potius ab illis Principibus hunc honorem exhibitum: quoniam tamen ad me voce & votis dirigi voluistis; consentio ita factum, & deosculor adfectum, & complector animum, & laudem gloriamque hāc modestè mihi usurpabo. Quidni verò arbitrari potuissem, vobis ex parte saltem exhibitum? Audite, audite PRINCEPS LITTERARVM ET PATRES; audite caussam firmam claramq;

mea

meæ confidentiæ. Per Triumphum herè in palatium delatus, una atque altera hora transierat quòd Principes omnes à me discessissent, cùm nunciatur mihi, Legatos illorum adesse. Iubeo intrare. Ingrediuntur. & Primùm salutationes denuò mihi deferuntur amplissimis verbis. Deinde gratiæ aguntur, quòd CL. V. E. PVTEANVM ex vestrâ omniumq; sententiâ, meritò ac jure, Litterarum Principem pronunciassem. Tandem cõmuni legatione denunciant, auctoritatẽ vobis Principes deferre, quòd: QVAECVMQVE TOTO HOC DIE IN COMMVNEM REIPVB. LITTERARIAE QVIETEM SALVTEMQ; DECREVERITIS; CONSVLTA ET ORACVLA HABERE, HOSTES VESTROS SVOS IVDICARE, AMICOS AMICOS VOCITARE, ET RATA OMNIA FIXAQVE FORE. Rata & fixa omnia q̃ late serperet illorum potentia. Quid? Hæcne mei caussa. Nonne vestrâ. Quid ora vultusque omnium moventur? Quid obstupescitis? Quid vos mutuo adspicitis? Et est, est ut dico. Eâ occasione quãtocyus vos advocavi, & Senatum frequen-

quen-

quentē celeriter, ut videtis, coegi. Quid nunc fieri placeat, ostendite. Ecquid occasionem hanc subterfugietis? Quæ sanari possunt, quacumque ratione sanate; quæ resecanda videntur, non patiamini ad Reip. vestræ perniciem manare. Sæpè jam ad me Reip. Vestrę turbatores detulistis, sæpè questi estis; si vultis, ecce medela: Vos adhibete. Non deest potestas, non deest auctoritas. Vos, vos, dico apertè, nolite nunc deesse. Notum enim vobis omnibus, quomodo, & à quibus sapiētissimus : : : : : : : : discesserit nuper vulneratus, & pænè perierit. Notum quid acciderit Optimo viro : : : : : : : : Notum quid : : : : : : : : magno & sincero animo. [Nominabat profectò singulos, ad quorum nomina singillatim singuli ingemiscebant; sed cum abessem longiùs, non cupiebam.] Novistis quid reliqui (quos nimis longum esset recensere) perpessi fuerint. Sed (divino munere) servati estis. Munere, inquam, summi Apollinis & Antiquissimi hujus Reipub.

cu-

custodis, hanc tetram tamque infestam vobis pestem, toties jam effugistis. Cavendum tamen ne ampliùs ausi insurgere, & tamquàm Censores Principesque, in Litterarum Patres Patriã violare. Credite, non quiescent. Nam honores quos quietâ Repub. vestrâ desperant: turbatâ consequi se posse arbitrãtur. Quare nũc opẽ ferte; & si vivere permittitis, ità facite ut multis vestris firmisque prȩsidiis oppressi, commovere se contra Remp. neutiquàm possint. Circumspicite omnes procellas, quæ imminent. Enimverò nunc tranquilla res est: de futuris verò maximum fortè propositum est certamẽ.

Seneca Epi. c IX. Certamen? *Aiunt homines plus in alieno negotio videre, quàm in suo.* Vellem falsum esset, non prospicerem certũ magnumque malum, ni eretinas illas mentes averruncaveritis. Boni estis? Bonos admittite. Quid ergò? Timeo ne mali vos immutent? Non: timeo ne impediant,

Idem ibid: ut anteà sæpiùs. *Prosunt inter se boni: exercent enim Virtutes, & Sapientiam in suo statu continent.* Si tales non admiseritis

titis, vel removeritis nullam præbebunt caussam doloris nullam mœstitiæ. Non turbabunt vos. *Desiderat uterque aliquem, cum quo conferat, cum quo quærat.* Idem ibidē.
Desideratis dico, sed similem: hoc est, bonum, virtute præditum, & ut summatim dicam, sapientem. Nam; *Sapientis* Idem ibidē.
animum peritè movere nemo alius potest, nisi sapiens. Scio ego ex tranquillitate hominis, quis fructus eveniat; Crescit eius animus & ad majora accenditur. Atqui hæc ità à me dicuntur, quasi jam jugularem, quod in deliberationem voco. Sed non jugulo, non condemno. propono solùm quæ commoda quæve incommoda consequi posśint, utrumvis admiseritis. Tueamini vos famam, decus, honorem vestrum, quē apud mortales omnes adquisivistis. Et perc pitis quo ore, quâ voce, quo modo hîc utendum suspicer? Si sapio, non disśimili oratione, quàm Divinus ille Plato usus fuerit ad Dionisiū In Epist.
Tyrannum. Ipse quo pacto vos hîc gerere debeatis, clarè demonstrat. Equidem, per Deum immortalem, spernunt

vos.

vos. Quid hoc est? Doctrinam, Sapientiam, Virtutem spernunt, qui tamē doctos sapientesq; sese jactitant, atque apud multitudinem, quod maximè student, gloriā sibi pariunt, tamquàm sapientiæ amatores. Igitur quid? Honorabitis qui vos contemnunt? Infamia. Hæc à me obiter. Non quasi omnino removere cupiam, cùm non tam ulcisci studeā, quàm placere, si fieri posset, & sanare; Vos utrumque conemini & bonâ quadam sorte divinaque fortunâ, fortunatiùs vivite. Cōsulite, deliberate & intendite animos vestros, vos præcipuè MEI BELGAE, quibus Principatum meritò detulimus. Si quidem exaruisse Sapiētia nostra quodammodo jam atq; à nobis ad vos divertisse videtur. Vos dicite quod remedium, quis obex his furijs opponi possit. Vestra res agitur. Æqui & justi hîc sitis. Sententiam vestram exponite, liberè prorsus & lege freti: Ego personā arbitri si vultis imò quia vultis adsumā, & tā perferentibus q̄ removentibus inimicis cōiter consulam. Hoc tamen priùs moneo & præmoneo.

muneo. Si qui hic, pòst Senatus decretum dissenserint, eos communi sententiâ hostes existimate. Nec prius desistire, quam ea quæ à vobis decernentur, quasi divina somnia vigilantibus supervenientia, perspicua quidem atque felicia, perfectissimè impleatis. Sed dicat nunc aliquis. Dic tu Litterarum Princeps E. Puteane. imò à quo justiùs sententia exquiretur? Tu insultus illorum etiam perpessus, tu excepisti. Quid censes? Quid tu VRIENDTI? Vel dicat aliquis Italorum, si ità Belgis videatur. Quid ais M. ANT. BONCIARI? Quid tu IOANNES BAPTISTA SACCE? Quid vos reliqui?

AD HAEC, animi omniũ gaudio repleti. etiam admiratione, quod adeò benigno amicoque animo cum illis Orbisterræ Principes uterentur, commoti tam præclaris verbis, quæ Antistes protulerat. Vtebatur enim fluvido & Ciceroniano stilo, nam Chilonius multis Italorum non arridebat. Præcipuos tamen illorum, etsi non uterentur, novi Laconismum ad cœlum efferre mirisque modis ei favere.

Ete-

nimisque invidæ, nobis non inviderint?
Quod te Aesculapi, & te Salus, ne quid sit hujus oro: Terent.Hecy.
Delectat, movet, recreat humanũ genus suis lucubrationibus, & ad optima perducit adolescentium animos, hoc est, ad Bonam Mentem. Quid acutiùs COMO ejus? Quid pulchriùs doctiusq; LAVDATIONE BELGICAE IVVENTVTIS? Quam verò Doctrinã Sapientiamq; non spirant CONSOLATIO CAECITATIS, reliquaq; scripta? Quam etiam singularem lectori non adferunt voluptatem? Quis in exprimẽdis adfectibus aptior? in sententiis acrior? in describendis rebus divinior? in persuadẽdo fortior? Videte THYRSOS videte SCLOPVM, VIDETE STIMVLVM. Exclamabis profectò: O litterarum columen. Provocabo iterum illius testimonium, in quo cunctos facilè conquieturos confido. Cùm primò M. Ant. Bonciarium inviserem, & Puteani *Consolationem Cæcitatis* offerrem quam è Belgio cõtuleram, & ille avidè legi sibi curasset; sequenti die ad eũ reversus: ô mi VVamemakere, inquit,

Ecquis divinior Puteano? O vita. Hocne ſcriptum clarè vidētis de Cæcitate? Quid dicam non occurrit, niſi hoc fortè: Luminibus orbum cæcumq; fuiſſe planè adfirmem cum Ampliſſimum illum Virum cõſolaretur. Scribi certè in hâc materiâ nihil meliùs potuit. Ità dico, & cæcus dico. Nam noſtrum eſſe arbitror, cenſere illa qui eâdem fortunâ xx. circiter annis lætamur. De cæcitate nulli meliùs judicabũt, quàm nos, qui Cæci. Quare iterum & bis iterum repeto; Opinionem meam ſuperare hoc ſcriptum, hominis non Cæci, ſed videntis. Hæc extra rem dicta: curſum nunc proſequamur. Erecti itaque, Litterarum Patres, Antiſtitis oratione: inter ſe capita conferētes neſcio quid muſſitabant, hilarem præferentes vultum. Aliquamdiu hoc duraverat, cùm iterum ANTISTES: PATRES, inquit, quid hæretis? Rem expoſui. Quid moramini? Viros vos oſtēdite. Ipſi innuentes omnes Puteano, ſententiam ejus expoſtulabant, nimirum cũ Princeps eſſet, nec fas videretur aliquem præcedere. Ille nega-

re

re instanter & cōstanter. nec decere eum de eâ re dicere de quá facilè suspicarier possit, propter inlatam injuriam, commotiùs severiusque ab eo dictum. EGONE, LITTERARVM PATRES? aiebat. Absit. An ignoro quàm citò hîc peccavero? Nostis quî exceptus nuper ab iis fuerim, quâ Calumniâ impetitus quâ injuriâ circumventus, quibus etiam falsimoniis cōspersus. Quid restat; nisi me irâ aut odio severiùs loqui existimetis, & mala illorum; qui tamquàm professas inimicitias mecū semper gesserint exaggerare? Esset ità fortè, nescio tamen an diuersum sentirē; & non tam tollendos quàm perferendos pronunciarem. Sed dicat CL. Heynsius, dicat Vriēdtius. Et quidni potiùs aliquis Italorum, Hispanorum, Germanorū, aut Gallorum? Ex re judicarem, tamquàm de quibus minor suspicio oriretur, ne ex adfectu dixissent. Frustrà hæc Puteani excusatio erat. Nam illi econtra recusare omnes, confidere uniusipsius candori, nec minimam suspicionem futuram, de quibus verebatur. denique seriò sententiam

 ejus

Ecquis divinior Puteano? O vita. Hocne ſcriptum clarè vidētis de Cæcitate? Quid dicam non occurrit, niſi hoc fortè: Luminibus orbum cæcumq; fuiſſe planè adfirmem cum Ampliſſimum illum Virum cõſolaretur. Scribi certè in hâc materiâ nihil meliùs potuit. Ità dico, & cæcus dico. Nam noſtrum eſſe arbitror, cenſere illa qui eâdem fortunâ xx. circiter annis lætamur. De cæcitate nulli meliùs judicabũt, quàm nos, qui Cæci. Quare iterum & bis iterum repeto; Opinionem meam ſuperare hoc ſcriptum, hominis non Cæci, ſed videntis. Hæc extra rem dicta: curſum nunc proſequamur. Erecti itaque, Litterarum Patres, Antiſtitis oratione: inter ſe capita conferẽtes neſcio quid muſſitabant, hilarem præferentes vultum. Aliquamdiu hoc duraverat, cùm iterum ANTISTES: PATRES, inquit, quid hæretis? Rem expoſui. Quid moramini? Viros vos oſtẽdite. Ipſi innuentes omnes Puteano, ſententiam ejus expoſtulabant. nimirum cũ Princeps eſſet, nec fas videretur aliquem præcedere. Ille negare

re instanter & cõstanter. nec decere eum de eâ re dicere de quá facilè suspicarier possit, propter inlatam injuriam, commotiùs severiusque ab eo dictum. EGONE, LITTERARVM PATRES? aiebat. Absit. An ignoro quàm citò hîc peccavero? Nostis quî exceptus nuper ab iis fuerim, quâ Calumniâ impetitus quâ injuriâ circumventus, quibus etiam falsimoniis cõspersus. Quid restat; nisi me irâ aut odio severiùs loqui existimetis, & mala illorum; qui tamquàm professas inimicitias mecũ semper gesserint exaggerare? Esset ità fortè, nescio tamen an diuersum sentirẽ, & non tam tollendos quàm perferendos pronunciarem. Sed dicat CL. HEYNSIUS, dicat Vriẽdtius. Et quidni potiùs aliquis Italorum, Hispanorum, Germanorũ, aut Gallorum? Ex re judicarem, tamquàm de quibus minor suspicio oriretur, ne ex adfectu dixissent. Frustrà hæc Puteani excusatio erat. Nam illi econtra recusare omnes, confidere uniusipsius candori, nec minimam suspicionem futuram, de quibus verebatur. denique seriò sententiam

ejus exſpectare. Vt hæc vidit Puteanus, & nullâ ratione ſubterfugere ſe poſſe quin diceret: demiſſis in terram oculis, purpureo ex ore vocem emittens, viſus fuit hęc vel ſimilia verba facere.

Oratio Puteani.

QVONIAM ità Vos, LITTERARVM PATRES, velle video: dicam quid ſentiam. Dicam, inquã, ſeriò: & brevi diſcurſu ſententiam meam indicabo. Si gradior fortè à mente veſtrâ, penſate à piâ puraque mente meâ hæc eſſe. Qui aliter interpretabitur, mihi injuriam faciet, & in ipſum Candorem peccabit. Liberè unumquemque exiſtimare hîc debere, & jam Antiſtes prædixit, & vos ſcitis. Liberè dico, & lege fretus. imò etiam auctoritate quam ex Antiquorum Majorumq; laudatiſſimis mortalibus haurimus. Ità faciam, & per illa quid expedire judicavero, ex mente meâ ſtatuam. Non tam enim, LITTERARVM PATRES, advertendum cenſeo, quid facere debeamus, quàm quid honeſtè facere poſſimus. Habenda eſt ratio, Modeſtiæ; Clementiæ

tiæ

tiæ & Innocentiæ nostræ; nec omninò ea deserenda. Injurii sunt, turbidi sunt: sed an his paucis sublatis stirpem & radicem penitùs extinguemus? Vereor. Sed rem aggredior. Amborum caussam agam, dũ nostram. In hostem namque nefas putarem acerbiores esse, quàm Innocentia nostra patiatur. Satis novi hanc pestem, Nemo exclamet, Quid agis Puteane? An non satis tibi adhuc innotuisse? Satis, satis, & nimium satis. Attamen plus Clementiæ & Modestiæ nostræ, quàm alienę petulantiæ tribuo. Et audite quàm optimè noverim. Abducar necessum esset, si è pestilenti lacunâ sparsas Calumniæ lamas omnes persequar. Iterum tamẽ dico; Corrigere vel imminuere malignitatem in inimico malim, quàm vindicare. Nam, si verum fatear, potui hoc sæpiùs: tamen alterum potiùs conatus sum, etsi novis modis provocatus. Quid enim? PATRES. Nocere ampliùs non possunt, qui improbitatem suam produxerũt. Noti sunt, detecti sunt, publici sunt. Repeto. Quid veremini? Nocere ampliùs non

possunt, qui vivunt & æternùm viuent in suæ posteritatis dedecus. Spernamus, spernamus has Noctuas. Vincētur enim, modò spernere poterimus. An ignoramus, armare illos adversarios quiqui æstiment? Nos facimus; & æstimamus dum timemus, timemus dum removeri volumus. Agnoscamus vires nostras, & mero silentio Livorem Calumniamque dissipemus. Scopuli simus, rupes simus, incudes simus: & inconcusso animi robore, circumstrepentes Livoris Calumniæque turbines infringamus. Si fecerimus; Livore altiores, Calumniis eminentiores; trāquillâ Musâ, securâ Mente, felici Fortunâ fruemur. Nonne necessariò hæc cōsequuntur; Quotquot vivimus, & Amicos & Inimicos habere? Amicos habent qui honestè vivunt, etiam hostes habent qui amicos meruêre. Vos, ô PATRES, amicos habere, vos invenisse: hi dies testati sunt. Quid igitur? alteros negligitis? Non potestis. Necessum est, ambos habere. imò hostes habere suave est, sed quos virtute vestrâ fecistis. Audite, audite

dite ampliùs, & quæ dicam in animos admittite. Honesti esse non possumus; nisi hostes habeamus. Honesti esse non possumus, nisi placeamus aliis, aliis displiceamus. Addo etiam. Nec magni habebimur, ni ad invidiā æmulos habuerimus. Qui, quales, quantique simus: ab invidiâ notescet. *Non enim interit, qui per virtutem peritat*. Quid, quòd & stimulari conatus noster debeat ut felicius surgat? Credite: surget. Nam *forti animo, qui patitur malū, ille pòst potitur bono*. Invidia seu injuria quoties majorem locum fortunæ fecit? Memini * Philosophum meum alibi tradidisse, inimicum felicitatis Vrbis dixisse quondam, Romæ sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quod sciret meliora resurrectura, quàm arsissent. Certè multa ceciderunt ut feliciùs surgerent, & in alias formas. Possem plurima referre veterum testimonia: sed contentus iis quæ ad manum sunt, paucis illa libabo. In divinis litteris, Magnū illū Iosephū Patriarcham, fratrum invidiâ legimus primò ferè necatum, divenditum, à libero,

* Senecam dico.

servum factum, carceri inclusum, ut pænè à fortunâ & Divinâ Nemesi videretur derelictus: mox tamen Ægyptiæ Principē, & auctoritate regem, ad cujus nutũ vultumq; cuncta administrarentur. Sed hoc antiquius. Venio ad unum quod Parentum ævo contigit. Præclarissima illa Medicéorum familia, tot egregios salutaresque florentissimæ Florentiæ Vrbis Duces dederat, qui tam benè de Repub. meriti ut nulli unquam meliùs. Pro eâ Magnificus Laurentius Dux & vitam & fortunam suam objecerat. Entamen, invidiâ senatorum aliquorũ, familia illa post Laurentii vitam pulsa, & tam ancipiti successu defatigata, ut iam propemodùm perpetuum silentium minaretur. At respexit Æterna illa Mens, & Virtute Illustrissimi Cardinalis Ioannis Laurentii filii, ad meliorem mentem reducti, revocatur; in pristino loco & dignitate restituitur. Cardinalis etiam non multum pòst Summus Pontifex electus, Leonis x. sibi nomē adsumpsit. In summâ: Ad tantum honorem ex suo merito pervenit, ut majorē

virtute & fortunâ stirpem Europa nō habuerit è quâ tot Pontifices Summi, tot tāque lucida orbis lumina orirentur. Maneat & sic æternùm (votum nostrum est) floreat. Tu, ô MAXIME ANTISTES. ramus ab illâ stirpe, & quamvis claram lucem ab eâ acceperis, majorem reddidisti. Sed istuc, unde digressus sum redeo. Sic vos, LITTERARVM PATRES; quos vitiorum omnium illa sentina sepultos voluit, quos delere vel umbrâ obscurare nitebatur; Deus, Virtusque eduxit & extulit. Qui servire antea videbamini, regnare vos hîc Antistes & Orbisterræ Principes jussêre. Adhuc ergo movemini? Frustrà. Eò ampliùs quòd, qui turbare vos cupiunt, nihil mali inferre possint, cum mali sint. Nullam enim auctoritatem ipsius dicta habent, cùm qui culpandus est, culpat. Meritò moveremini si aliquis alter M. Cato vobis obesset, si alter Lælius Sapiens, si Scipiones. Breviter; Meritò, inquam. turbaremini si tales vobis resisterent quales estis; boni, justi, sapientes. Nunc mali sunt: quibus displi-

cere

cere laudari eſt. Mali ſunt: qui bonis benè neſciunt facere. Ignorantes ſunt, etſi in ſuis oculi Sophi, quibus majores æmulos ſapientes numquam habuêre. Faciunt non quod meremur, ſed quod ſolent. Illud innatum iſtis canibus ut non pro feritate, ſed pro conſuetudine latrent. & præter vocem nihil hîc eſt quod lædat. Quare negligite, contemnite lingulacas illas, nec Innocentiam animique magnitudinē maculate. Decet ſanè, decet vos & fortunam veſtram: Lenitas, Clementia, Patientia. Enimverò, incredibile eſt, quātùm inſignitæ hæ virtutes alios arcebunt à ſimil conatu vel pœnitentiâ vel pudore. Sævities Barbaris tyranniciſque ingeniis propria. Sed hocne ago, ut uberiùs per exempla Clementiam nobis commendē? Fiat, & degenerare nos pudeat ab eâ virtute. Compello, Crudelitatis, & Sævitiæ monſtrum, & præconem vocis meæ poſtulo unam Clementiſſimam ſuam vocem. Tulerat ei Prætorii Præfectus de more Chartam, ut ſubſcriberet mortem duorum & cauſſam. Rejecit & diſtulit

* Neronem Cæſarē deſigno.

ali-

aliquoties. sed cùm instaret & repeteret sæpius; tristis accipiens, *Quàm vellem nescire litteras*. exclamavit. O Summæ Clementiæ dictum. O mentibus infigenda sententia. Imitamini, amate, LITTERARVM PATRES, & puram Innocētiam servate. Vocat ad hanc vos quoq; Titus Cæsar, Vespasiani filius, qui, referēte Suetuonio, *periturum se potiùs, quàm perditurum, adjurabat*. Satis pænarū existimate, punire potuisse. Nihil magnum, nisi magno despiciamus animo. Advertite Scipiones: illi intantum patientiâ suâ hostes compulêre, ut ferro ipsi suo caderent. Idem de vobis existimate. Vincetis, modò videri vinci permiseritis. FABIVS Cunctator, quantum triumphum, gloriam, laudemque sibi non peperit solâ patientiâ? Ita me Deus: quantum ad ęternam Bonam Famam vestram accedet illa virtus. Quia & jam agitur, ut ostendatis, non solùm quanti famam vestram, sed virtutes has faciatis. Non cujusvis sunt, vestræ solū sunt. Igitur, O PATRES. quales estis, este; id est, quales descripsi,

mo-

moderati & mites animo. Nam contra naturam, mentem, & institutum facietis: si feceritis. Magni non eritis, ni Clementiam habueritis. ALPHONSVS, Optimus Aragonum Rex, interrogatus, Ecquid erga malos ità lenis esset? quia, inquit, malos Clementia conciliat, bonos Iustitia. Ità est. Resipiscent, virtute vestrâ moniti, & meliorem mentem adsument. Nonne pluries visum? A prædicto rege non abibo. Obsidebat Caietam pertinaciter in se rebellem, pressit inopiâ obsessos. Quod ipsi fatentes; senes, pueros, feminas & inutilem omnem turbam emisêre. Deliberatum in Consilio ut rejicerentur, reprimerenturque: dedendam enim necessariò sic urbem. Rex miseratione commotus, negat; & dimitti maluit, & diutiùs adsidere. Hoc Cives videntes, tantamque Principis Clementiã admirantes, ultrò se ei tradidêre. Sed nõ semper cunctis mortalibus idem erit animus, non eadem mens, non ingenium, nõ sensus. Video & prævideo: erunt qui ulcisci ex vobis malint; quàm improborum
horum

horum hominum perpeti injurias. Vellē autem iis occurrerent tot Senecæ noſtri laudatiſſimæ voces, tot præclara & aurea dicta. Vellem ſcirent, honeſtum magnūque genus vindictæ eſſe, ignoſcere. Vellem arbitrarentur vindictam, vindicare potuiſſe. Quid etiam? An non fruſtrà pæna aut vindicta? Meo judicio. Nam numquàm intantum convaleſcēt improbi mores, numquàm ſic contra virtutes conjurabitur, numquàm ità comprimetur Sapientia: quin non Philoſophiæ nomē venerabile ſacrumq́; manebit. Aliud dico. Numquàm tam malè cum humano actum fuit genere, ut virtuti patrocinium deeſſet. Numquàm tantum fuit improborum hominum, ut deſerta viri boni cauſſa negligeretur. *Dabit Deus his quoque finem*. Dabit Deus finem, iis turbidis peſſimiſq́; mortalibus. Ipſi permittamus & vindictam & pœnam, Mihi quidem nihil unquàm magis, quàm modeſtiæ meæ ratio conſtabit. Si quæ ferri poterunt, feram: ſi quæ diſſimulari, diſſimulabo. Erramus ſi cēſemus ſeculi hoc

noſtri

nostri esse vitiũ. Erramus si cẽsemus hoc ęvo primũ apud improbos mores lacessitã sapientiam. Hominum sunt ista, non tẽporum. Nulla ætas vacavit hoc vitio, nulla vacabit. Quoties antiqui Philosophi, ante Divini Platonis ętatem, magnum sępè certamẽ cum stultitiæ temeritate certârunt? Quoties injustè mortis victoriã Philosophiâ adstante promeruêre? Volvite & revolvite veterum scripta. Alibi Anaxagoræ fugam, alibi Socratis venenũ, alibi Zenonis tormenta invenietis. Quod si illa nimis peregrina appareant, ad Senecam, mentem animumque referte, cujus nec tam vetusta, nec tam incelebris memoria. Quid hunc aliosque in cladẽ detraxêre nisi quæ vos quodãmodò in prædæ partem apud has lucifugas? Videlicet quòd Philosophiæ moribus instituti, studijs improborum dissimillimi viderentur. Sed non istuc eo ut illorum exemplo in mortem vos aut tormenta ducam: non. Initium rerum omniũ spectemus velim, non finem. Verum quidem est, pereunt quandoque innocentes, nocentes tamen

ſæpiùs. Hoc ago ſolummodò, ut oſtendam omni ævo fuiſſe ſapientium turbatores, omni fore; ac proinde fruſtrà commoveri nos aut turbari; fruſtrà tormenta, vindictam, pænam inferre. Quis impetus, quæ ratio, Boëtio Conſolationis Philoſophiæ libros expreſſit, niſi ſimiles aut pares turbæ quibus undique circumcingebatur? An non etiam noſtro ævo vidimus C. V. IVSTVM LIPSIVM non ſolùm Belgiæ noſtræ, ſed totius orbis præfulgidum litterarum ac Sapientiæ lumen, cum his furiis tot bella geſſiſſe? Itaque non eſt, ut dixi, quod admiremur ſi in hoc vitæ ſolo & ſalo circumflantibus agitemur procellis, quibus hoc maximè propoſitum eſt, *Malis diſplicere*. Et quamvis creſci numerus eorum in dies videatur & augeri, ſperni tamen debet quia nullo duce regitur, ſed errore tantùm temere rapiatur. Mirum etiam quantùm proficiat ad vitæ innocentiſſimæ puriſſimæque ſtudium hæc perturbatio, hæc peſtis. Nunc enim, LITTERARVM PATRES; maximè elucеſcit virtus veſtra, quæ ſine

ad-

adversario marcet. Vt rosæ quantò strictius comprimuntur, tantò majorem odorem emittunt: ità virtus magis apparet, quanta sit, quantùm valeat polleatque, cū quid possit, Clementia ostendit. Atqui de utilitate quoque, quæ ex illis eximia ac præcellens profluit, quid juvat dicere? Illos veritus: exploratè pensiculateq; perpetuò intendemus, nosipsos observabimus, ne quid incuriosè, ne quid incircūspectè; sed providè singula prospicienterque dicamus, & perficiamus. Illos veritus: adlaborabimus ut tamquàm in accuratiore dietâ vitam præstemus inculpabilem, puram, sanctam, atque ab omni venenosiore morsu sequestratam. Paucis; Illos veritus: sic adfectiones reprimere conabimur & sedare; sic rationem velut in speculo continebimus, metu providaq; & sagaci curâ meditationem concipientes propositum transigendi vitam ab omni procul crimine sejunctā. Eveniet certè idem prorsùs, quod in hoc Triumpho contigit, omnibus vicino Antistite adsiduè advigilantibus. Hoc siquidem ingēs

gau-

gaudium, quod ex Antistitis adventu cõceperant, effecit, ut omni curâ cuncti circumspicerent, ne quid esset quod tanti Principis majestatẽ dedeceret, aut quod minuere amorem vel erga eum venerationem nostram potuisset. Eodem modo inimicus infestior, vel nolentes ad sobrietatem revocat, neque in desidiam labi permittit aut neglectum. Imò efficit adsuetudine istâ, ut tamquàm in statione quadam positi in statum innocẽtem evadamus, ac planè Theonini dentis nesciũ. Pulchrè hoc apud Romanos P. Scipio Nasica. Etenim plurimis adstruentibus Rempub. Romanam nunc demum obfirmatam stabilemque videri, Carthagine funditùs eversâ: hoc præclarum celeberrimumq; dictum protulit; Imò verò nũc, inquit, maximè periclitamur, quando nec quos extimescamus, nec quos erubescamus, reliquos nobis fecimus. Nam profectò hostes hoc agunt, ut quales illi esse deberent, videantur: nos, ut quales simus. Sed comprimam sententiam atque verba. Agite, LITTERARVM PA-

TRES, mittamus adversarios, & cogitemus quantùm commendationis nobis allatura sit Clementiæ fama, atque quàm multos venia amicos utiles fecerit. CLEOBVLVS* Sapiens, (nisi fallar) eâ ratione inimicos amicos faciendos pronunciavit. Ad Socratem venio. Ille cum à quodam calce percussus esset, adstãtesq; admirarẽtur; Quid, inquit, si asinus calce me petisset, num diem illi dixissem? Bellissimè. Volens turbidos illos, brutis animalibus esse similes. Hoc de iis optimè existimate, & in sentẽtiam meam quiescite, quam promo; QVOD PERMITTAMVS EX MENTE MEA HOSTES NOSTROS VIVERE, ET FELICITER VIVERE; SED (animadvertite diligẽter quæ modò dicam) IN HONOREM, IN AETERNVM NOSTRVM DECVS.

Quòd si quis hæc in mente non probat sua,
Ille alia teneat, & sequatur; ista ego.

POSTQVAM dixerat Puteanus eo stilo, cui vis & vigor inerat, & qui unus pro ipsius virtute staret: magna pars sententiam ejus laudant, omnesq; animi vir-

tutem ad cœlum efferunt. Fluebat dulcis ei ab ore & suavis sonus, atque animi vultusq; modestiâ aut hilaritate facilè hominum mentes alliciebat. Admirabantur meritò tamen non parum vehementiorem fuisse in illos hostes, à quibus toties graviter læsus. Sed hãc orationis moderationem omnes ad ejus modestiã animiq; Constantiam referebant. Habebãt enim omnes eum talem, qualem Franciscus Zvveertius anteà mihi descripserat. utpote qui cuncta ad severam rigidamq; sapientiã revocaret; volens *Virtutem habitare in rupibus difficilem adscensum habentibus*. Putabat omnes sibi in fortitudine æquales, & qui facilè improborum insultus contemnerent. Atqui divisæ erant sententiæ atque adsensus. Plurimi aliter se sentire, vultu, ore, voce, satis indicabant. Non mendacio tingam sermonem. Solem istum, videntem omnia, testor, vera me memoraturum, si vera vidi. Trahebantur in contrariam partem, quòd non in omnibus tantam virtutem & adversus impetum invictum animum ar-

Simonides.

bitrarentur. Sed, ut homines erant, & vinci posse & labi. Magna igitur cura Patrum ad providendum huic malo. Contulerunt iterum capita & magnum excitabant strepitum; qualem per ramos aqua frigida susurrũ edit. Tandem unus, omnium Belgarum voce, postulat alios dicere; &, si impetrarent, aliquis Italorum officio hoc fungeretur. Nam illi hîc ferè taciti adsidebant, & Belgis totum negotium commiserant. Gravis res videbatur; & invidiosa. Rogati Itali, non annuere. Caussam aliquam prætexere. Vt vidit Antistes dissensiones; optimum ratus alteram partem audire: C. V. Max-æmyliano Vriendtio, tamquàm capiti sententiæ illius, imperat, quid visum ei exponeret, mentemque suam & rationes pro eâ proferret. Ille nihil cunctatus hujusmodi orationem habuit.

Vriendtii Oratio.

NON ignoro, LITTERARVM PATRES, Sapientissimum Virum Erycium Puteanum, ut est innocẽtiâ singulari, omniq;

niq; virtute præditus, cuncta quæ graviſſimè ſimul atque ornatiſſimè complexus, ſaluberrima & optima eſſe: eumque facilè credo ita exiſtimare, ſicut dixerit. Sed longè graditur à ſententiâ meâ. Alia mihi mens, alius animus, alia cura. Adeſte nunc pulchræ Charites, pulchricomæque Muſæ. Adeſto ô Phœbe Parens, & divinitatis tuæ radiis omnium noſtrum mẽtes accende ad optima, ad meliora, ad tutiora pervidenda. Pervideo, pervideo ego, PATRES, imminentia pericula, niſi ſuccurramus. Prævideo infortunia, ni medelã adhibuerimus. Quocirca dicam quæ optima viſa ad Reipub. noſtræ utilitatem. Sed ità dicam, ut memor etiã ſim apud quos verba faciam, & quos ſcio jam ante illa ipſa mecum recognoviſſe. Igitur ſi ea, ſi vos, ſi decus honoremque veſtrum amatis: effectum date. Quid? An Reipub. ſtudium non omnia ſuperabit? An plus periculi innocentiæ noſtræ manebit, quam honoris? PATRES, ſeriò dico: videte ne iſta manſuetudo in miſeriam convertatur. Equidem credite ho-

diè consurrexisse universam Rempub. litterariam ut ex vestrâ sententiâ animadvertat, quid in posterũ de salute sua sperandum sit. Credite etiam vim vniversam flagitiosæ juventutis hodierno die, horum supplicio aut conficiendam fore aut nostrâ Clementiâ lætam atque exultantem. Et utinam hæc tantummodò essent. Sed vereor ne non multò post in omnium nostrum perniciem unà cum illis celerrimè consurrexerit? Quid? Ferendumne, PATRES, tam paucis annis (pudet dicere) ludibrio adeò extitisse superbiæ paucorum?

Ouid. Trist. *Hoc pretium vitæ, vigilatorumq; laborum*
Cæpimus?

Hicne Clementiam nominamus aut misericordiam? Invident honori nostro, ô Puteane: & quod minus ferendum, labori invident atq; innocentiæ. Quâ peste, quæ potest esse major? Auferantur de medio, quia ut vetus dictum: *Mortui non mordent*. Quid extimescimus? Nõ nostra hæc propriè, sed Reipubl. vindicta. Adhuc pestis illa inter latera nostra versabitur?

bitur? adhuc exultabit? Adeſte cælites omnes. Adeòn' videmur ipſis idonei, in quibus ſic illudant? PATRES: quid agimus? quid expectamus? Ferro jam ulciſci oportuit. Erramus vehementer qui perpetuò priſtinam illam lenitatẽ noſtrã deſideramus. Erramus qui hìc Clementiam ingeminamus & patientiam. Nos, nos eâ modeſtiâ facimus, ut mali fiãt dum ſtudemus nimiùm dici boni & benigni. Miſericordiam habere hìc nõ oportet. Nõ eſt lenitatis locus, ubi ſeveritatẽ res ipſa flagitat. O quantam ad nequitiam feneſtram aperietis, ſi animum veſtrum intellexerint. Quantum inimicorum animos auxeritis, quando ipſis de nimiâ bonitate veſtrâ conſtabit. Quare agite, ferte opem, advigilate diligenter, LITTERARVM PATRES, vindicate, & facite ne improborum potior ſit pollẽtia, quàm innocentium, quàm bonorum. Statuite exemplum impudentibus, qui ſe ſcelere fieri volunt Cenſores Litterarum & Principes. Date innocentiæ, date laboribus præmium. Cogitate quod quã-

tò adtentiùs, quantò acriùs, quantò acerbiùs ea viderint à vobis agi; tātò illorum animos infirmiores futuros. Si verò paullulum vos languere viderint, iam omnes feroces aderunt. Ergò injuriarum hîc quædam mancipia erimus? Ergò pessimis insontes modis urgebimur? Perdite perduelles, perdite turbidos, & æternam laudem, lauream q; vobis parite. Quid tandem impedit? Majorum mores? Veterum consuetudines? antiquorum dicta aut consulta? An leges? Tenetisne exēpla majorum atque omnium gentium auctoritatem, qui summas semper ac singulares pænas in id hominū genus infligendas esse censuerunt, qui rationes haberēt turbandæ Reipublicæ? *Lex omnium regina, mortalium, & immortalium, hæc agit jus violenter potentissima manu?* Vbinam gentiū sumus? Valete Regiæ Leges in quibus toties conclamatum: VINDEX ASSIDVVS ESTO. Hîc culpam meremini vos qui quondam summam laudem consecuti, quòd Damasippū & alios hujuscemodi scelestos & factiosos, seditioni-

Pind.

bus

bus Rempub. exagitantes meritò necasse legimus. Quid de Milone dicam? Dedecori hîc nūc cedet quod illi summo honori quod P. Clodii conatus furoresque compresserit. Sed ad veterum auctoritatem ac præclarissima dicta vocamur, & à pænâ revocamur. Imò ad Senecam vocamur. Optimè. Age Romane Sapiens te libens adeò quem inspicere & revolvere jubeor. Dele divinas sententias, quas tamquā oracula veneramur. Errasti qui beneficio gratiam, injuriæ vltionem decrevisti. Errasti qui beneficio gratiā, injuriæ talionem voluisti. Et tu jucundissime Plaute qui de Iove tā bellè meritus, quàm pessimè de Amphitruone: errasti qui benè merenti benè, malè merēti malè fore pronunciasti. Sed cur tantùm de his hostibus loquimur? De iis, inquam, hostibus qui jam hostes se profiteantur? O PATRES. ô Patria. Regnare nos volūt, hic Antistes, illi Principes: sed vereor ne servire cogamur. Fallor? Videte, videte. Litteræ mare sunt, & jactamur non una undâ. imò periclitamur inter Scyllam

De Beneficijs.

Ep. st. lxxxii

&

& Charybdim. Pacificate, quietas reddite, ne ampliùs jactemur. Nunc, nunc restinguenda est flamma nobis scelerata atroxque: dum adhuc velata cineribus ac sopita, facultas restinguendi levissimè data est. Restinguenda dico: ne cum omnia compræhenderit, frustrà postmodùm furibundam atque exultantem restinguere cupiamus. Ausculta Heraclitum; *Injuria magis extinguenda quàm incendium.* Planè. Si neglexerimus, nascentur atroces Tragœdiæ. Crescit in dies hæc pestis, viresque maximas suscipit. Nisi properè extinguatur, non modo omnes Belgiæ urbes, sed orbem universum inficiet. Nimis multa tacuimus, plura tulimus, plurima permisimus. Ego de meo sensu sic censeo, non furore aliquo, non impetu, non adfectu. Nam ità mihi salvâ Repub. nostrâ vobiscum quietè vivere liceat, ut ego in hâc caussâ quod vehementior sim; non atrocitate animi (quis me mitior?) sed pietate quadam singulari movear. Censerem temperandum, cursum hunc violentæ orationis, & fortè revocarem

(non

(*non obtusa adeò gestamus pectora*) si aliquem caritatis sensum in illis adspicerē, aut ullo illos pacto relinquere posse arbitrarer sceleratam istam mentem. Sed id genus cupiditatum istorum est, ut nec illos priùs animi perversitatem amissuros putem, quàm vitam. Vivunt enim, & vivunt, non ad deponendam, sed ad confirmādam pertinaciam. Iterum revoco, LITTERARVM PATRES; Cupio nos clementes, cupio benignos, lenes, modestos; cupio in tātis periculis nō dissolutos: sed, per Deū immortalē. nisi occurramus jā nosipsos nequitiæ inertiæq; condemnamus. Succurrite igitur, cavete. — Virg. Aenei.

Quid quisque vitet, numquam satis
Cautum est in horas. — Hor. Carm.

Cavete ne ignoscendo malis, bonos perditum eatis. Ità Stoicus Sapiens: *Bonis nocet, qui malis parcit.* Et tu ô Puteane nonne quandoque innuisti, te — Seneca Rhetor De Moribus.

Hostem esse atque inimicum hominum,
morumq. malorum;
Contra defensorem hominum, morumq. bonorum?

Non

In Thyrsis. Non recordaris te scripsisse, *Abeat vulgus, mihi boni voluptati, mali odio sunt?*

In Sclopū. Exciditne etiam tuum hoc dictū? *Vis & vindicta, nisi in publicum hostem, scelus est.* Quasi inferres; VIS ET VINDICTA IN PVBLICVM HOSTEM, PIVM EST. Tamen ad lenitatem & patientiam nos animasti. Nihil melius. Ignoras autem illud Ovidij?

Ovid. Trist *Rara quidem est virtus, quam non fortuna gubernat,*
Quæ maneat stabili, cum fugit illa pede.

Perit aliqua navis in portu: quid igitur accidere credis in medio mari? Innocentiam nostram quis exceperit eventus non vides? Pro veræ virtutis præmiis, malevolorum pænas subimus. Diffidere felici sidere Belgæ desierunt: & permittis bellum qui bonarum artiū studiis operantur? Patria quieta est: & Litterarū Patres periclitabuntur? O secula. O mores. Tranquillitatem ubi litteræ invenient? Satis nimirum nō periimus, nisi & penitùs supprimamur. Hæc improborum horū hominum vota sunt, hi cogitatus, hi sensus.

Quod

Quod si perversæ juventutis furor iis, ut cœpit, sequi perrexerit, cogemur fasces ponere. Et quid ago? Redeo ad hoc quod antea. Boni dici studemus, & ignoramus malos nos esse, ni bonos faciamus. Ignoramus malos esse, qui malos permittimus. Verùm enimverò ne nihil omittam, & ad finem celeriter properem: ille etiam hostibus cumulus accedit, quod æstimatio plurimorum, non rerum merita, sed fortunæ spectet eventum. Hoc est: ad vulgum se conferunt, & hoc unum student, illi placere. Profectò non sine ratione. Quia popularem famam à maioribus nostris accepimus, sæpenumerò nec temerè unquam nasci turam, nec temerè occasuram. Audite, Hesiodum:

Fama verò nulla prorsus perit, quam quidem multi
Populi diuulgant: quippe Dea quidem est & ipsa.

Quapropter, PATRES, consulite vobis, litteris, posterisque vestris; incumbite ad salutem omnium; conservate vos, circumspicite omnes procellas. Hodiè

de

de vestrâ fortè vitâ, de honore, de famâ judicandum est. Hodie faciendum est, si quid faciendum. Hodie præsidia non desunt, quæ numquam amplius aderunt. Num ignoratis in gerēdis negotiis, captādas temporis opportunitates? Num in occasione rerum desidiam ac tarditatē omnem quàm longissimè fugiendam? Habetis Antistitem ad salutem vestram, mēte, voluntate, studio, voce consentientē. Habetis Principes, Ordinesq; omnes unū atque idem sentientem. Et quod posthac non modo confici, sed ne cogitare quidē poteritis, hodiernâ die providendum est. Timeo, timeo ne frustrà post naufragium mare rursus intumescat. Timeo ne verū sit futurum, quod Cæsar Pompeio victoriam adepto nec eam prosequente, exclamavit; Hodie penes hostes erat victoria, at carent Duce qui eâ norit vti. Nobiscū versari diutiùs non possunt, non ferendū non permittendum. Iam melior lux nobis adfulsit; hâc fruamur, brevisque vitæ summam curemus vivere, &

——— *Securum agere ævum*.

Sic

Sic verò vivere ſuave erit. Sic poſteritati conſulere, dulce; ac jucundum pro, litterarum æternitate ſudare. In compendio, ita dico: NEFARIA HAEC PESTIS, LEGIBVS, AVCTORITATE, IVDICIIS, SENTENTIISQVE CONVICTA ET DAMNATA: IVRE CAESA ESTO.

Denique vindictæ ſi ſit mihi nulla facultas
Pierides vites & ſua tela dabunt. Ovid. Triſt.

Dicat nunc quiſque quod ſenſerit, ego ab hâc ſententiâ numquam dimovebor. Sed quoniam verè ſcio ſtudio me vos hîc præcurrere, vellem cogitetis non ut excitarē vos, hæc dicta, verùm ut vox mea officio ſuo functa videretur.

Hâc oratione quis dubitat quin majorem partem in ſententiam ſuam adtraxerit? Summo applauſu, vultu, & ſignis comprobârunt, atque ad unum omnes Vriēdtii in litteras & litteratos veterē adfectum, zelum, & curam amplectebātur. Ego ſuſpicabar, nonnihil nimiâ vehemētiâ uſum, quam naturam ei miniſtrare nō

igno-

ignorabam. adjuncto tamen zelo & pietate. Sed minima omnibus de eâ suspicio, Vriendtiana virtus in pretio habebatur. Antistes ergò ut animadvertit Vriẽdtium finiisse, non destitit quærere; NVNC quidquid est, LITTERARVM PATRES, quocumque vestræ mentes inclinant, statuendum. Quid vultis aut posset superaddi? Efficacissimas utrarũque partium rationes audiistis. Quid videtur? Faciam id quod est ad severitatẽ lenius? Si illius estis animi, facilè me atque vos à crudelitatis vituperatione defendetis. Obtinebimus eã multò leniorem fuisse. Quamquàm quæ potest esse tantæ pestis pænæ crudelitas? Expectabam ut prisco more in partes secederent: sed nemo locum mutabat. Apparebat tamen, animo omnes in Vriendtii sententiam ire, neminem voce. Nam propter Italorum dignitatem non videbatur consultum; cùm nihil ex voto suo adjunxissent. Omnes itaque ad Italos litis decisionem deferre. ut quoniam Belgæ hâc in re inter se diffiderent: seriò conquiescerẽt

in

in unâ illorum voce. Obtinuerunt tandem, & susceperunt Itali negotium sive precibus evicti, sive Antistite imperante. Illi autem, inter se conferentes quis diceret, non diu deliberârunt, sed unâ voce confestim CL. V. IO. BAPT. SACCO hoc commiserunt. Confidebant enim omnes ipsius Prudentiæ & Auctoritati, quam apud Litterarum Patres quamdiu vixisset, meritò habuerat. Accedebat exercitatio judicialium caussarum, quòd Mediolanensium Excellentissimo Regio Senatui tot lustris tantâ laude adstitisset. Deinde noverant omnes, varias eũ quãdoque perlustrasse nationes, variosq; mores inspexisse, & qui à Mediol. Regio Senatu ob eximias Virtutes Legatus fuisset ad Venetos, Lucenses, & Rhetos missus: & varia dignitatis officia administrasset. Adtentissimum silentium factum est; & unusquisque avidissimè auscultans, sentire havebat in quam sententiam declinaret. Sed utinam ego hîc sim excogitator verborum ad narrãdum commodus, in Musarum gratiâ. O Iuppiter. Men-

tem ambigenti infunde ad dicendam veritatem, ne ad expiationē cum Stesichoro vocer, & impingere mea dicta dicant, ad aspera mendacia. Atqui

Virg. Aenei. —— *hærent infixi pectore vultus*
Verbaq́,

quæ gravissimo gestu, sed decenti, visus sic efferre.

Oratio Saeci. QVID MIHI relictum sit; LITTERARVM PATRES, video. Nimirum ut odium invidiamve adquiram, cui non cōsensero. O Apollo. O Musæ. Falsus sim & vobis adstantibus ità verba formē, ut ambobus satisfaciam. In eo tota animi mei perturbatio sita. Tamen æquitate vestrâ fretus, & candore meo: dabo sententiam ex animi mei sententiâ. Dabo sanctissimis Reipub. vocibus, quas in me acervatim conjecistis; & iis qui ante me dixerunt, vestris mentibus pauca præfabor. Ego si optimum judicarem horum interitum, longè aberrarem à mente meâ. Imò ego si omnimodam modestiam nostram hîc desiderarē, amens essem. Quid

ad hæc

ad hæc stupetis? quid adspicitis? Publica hæc negotia sunt, haut privata. Vigilantiùs enitendum est, nec adeò temerè cujuscumque voluptati adsentiendum. Circumspiendæ æquè sunt vtriusq; rationes, nec in utramvis partem leviter declinandum. Tamdiu videlicet, donec luce clariores in apertum rationes deductæ, & satis firmæ videantur. Difficilè arbitror, commotis animis, & concitatis ingenijs verborum potentiâ, verum alicui persuadere, cùm tanta fuerit vis orationis utriusque, ut nihil ad persuadendum efficaciùs adferri meo judicio potuisset. Non eò autem tendo ut misereamini. Non eò ut liberos dimittatis. absit. Summam enim æstimo misericordiam, in Reipub. turbatores, quam occissimè animadvertere. Hanc tãtùm verbis modestiam rogo, hãc flagito; Non omnino saltem innocentiã deseratis. Novimus tuam, PVTEANE, virtutem; imperturbabilem animũ, ejusdemque adversus impetus fortitudinem. Nec latet etiam, VRIENDTI, tua in omnes pietas; erga litteras zelus, aut æternũ

studium. Sed audite, audite sincerã & fidã vocẽ. Modestia aut pietas suiipsius, si modum excedat, utraque mala; si modum observet, utraque bona. Vitium reputamus, in alteruttram partem, aut nimiam largitatem, aut parsimoniam. Sapientes hoc dictum, *Ne quid nimis*, laudarunt mirum in modum. Ad te primò venio LITTERARVM PRINCEPS. Videndum ne plus modestiæ consulas, quam famæ. Profectò illa non negligenda. Non committendum ut talem de te suboriri famam patiaris, quã inimici spargi student. Contemnenda multitudo nõ est, neque parvi æstimãdum, florere apud omnes gloriâ, æstimatione, virtute, dignitate. Quare audebo tuâ veniâ dicere, audebo in mentem reducere quod optimè te scire agnoscimus; OMNES homines qui de rebus magnis consultant, à misericordiâ vacuos esse debere. Omnino. Alioquin non facilè animum prævidere verum, ubi illa officit. Ità ità, & cum Plauto

In Pseud. — *reor aequom maximè*

Vt mala malis: ut qui mali ſunt, habeant mala:
Qui boni bona.

Ego, ego exiſtimo, cruciatus omnes quã illorum facinora minores eſſe. Adducam Optimorum Sapientiſſimorumque virorum pro mente meâ mentem. Siſto te, VIR CLARISSIME, Virtutis Probitatiſque vero exemplari ſeni M. Porcio Catoni, qui quantâ integritate vixerit, nõ ignoras, ſi cauſſam quinquagies dixiſſe, & obtinuiſſe perceperis. Ille ſanè nemini parcere aut amicus eſſe didicerat, qui Reipub. non eſſet. Si hic unus non ſufficiat, ad Antiſthenem mentẽ transfer. Qui rogatus, quid Reipub. exitiũ portenderet? *Cùm nec bonorum*, inquit, *nec malorum ſit diſcrimen*. Ac ſi diceret; Cùm nec honos virtuti, nec pœna eſſet ſceleroſis. Sed hæc valeant. Etiam trãquillitati ſtudendum; Nam, *Longè præſtantiſſima res eſt homini jucundum ævum*. Ab Apolline didicimus, qui adſeverãte Steſichoro, quietem oblectationeſq; amavit ſemper; & curas Plutoni Deo infernali tradidit. Nõ- Pind. Carm.

ne idem quoque Sapiẽtiſſimus Chilo Lacedæmonius ſapientiſſimè pronunciavit? Sed quæ quies in his turbis? Quæ animi tranquillitas in perpetuis curis? O Deus. meliorem mentem. Nolo plura addere, VIR INNOCENTISSIME, apud te, de te. Agedùm tu, MAXAEMYLIANE VRIENDTI; Magnificè ac compoſitè noſtrum atque Reipub. caſum miſeratus; quæ pericula imminere, quæ mala accidere poſſent, enumeraſti. Pænam quoque addidiſti, eamque ingeminaſti eſſe debere mortem. De pænâ annuo. Sed gradus hæc habet & nimiſquàm raro ad extremum illum venimus. Pro tempore & re moderandi hi ſunt. Intellego namque iis paucis ſublatis, hanc peſtem vix reprimi poſſe, multò minus comprimi. Si omnes verò è medio tulerimus, ne ſic quidem proficiemus. Inſidiabuntur nobis ex iis quos minimè habemus ſuſpectos. Provide parum; quæſo, ut aliquid ſaltem plus valeat dignitas tua quam illorum ſcelus. Poſſem etiam hoc verè dicere, id quod res habet; in luctu atq; mi-

ſeriis

feriis, mortem, quæ cuncta mortalium mala dissolvit, ærumnarum requiem, non cruciatum esse. Quamobrem autem, per Deum immortalem. non addidisti, uti priùs verberibus in illos animadverteretur? An quia lex Portia vetat? An quia aliæ leges? Item, Mulcta, Ignominia, Exsilium: hæc priscis sæpe usurpata tēporibus. Raró contemnent hæc tela, & (itâ voveo) apud plerosque proficiemus. Ea sunt quæ pudorem publicè adferunt, & suffundunt famæ maculā. Dedecus istud valdè coërcebit tales, atque aliis notabiles reddentur ad cavendum. Eccè Iupiter qui tot regnat annos, uni Vulcano crus fregit, & in Lemnon cœlo deturbavit, non extinxit. Iam in x. virorum legibus, hæc legimus: QVI INIVRIAM ALTERI FAXIT XXV. AERIS, POENAE SVNTO. Sed Exsilium censeo maximè huic malo, quòd sepositione istâ & relegatione vitetur. Præsertim in loca insulasque desertas aut minus frequentes, ad quæ nemo nec accessit nec accedet. aut quæ nec sunt, nec erunt. Verùm nimis

multa verba facio apud tales viros. Quiesco. VOS, LITTERARVM PATRES, quid censeam: ex dictis facilè existimabitis. Si placet, utimini; sin verò, meliorem tutioremque adhibete.

PERMOTI omnes hâc oratione, cõfestim voce in Sacci vocem iere. Et de genere non disputantes, Exsilium omnes conclamârunt. Itaque sententia conscribitur ex Antistitis mandato, subsignantibus CC. VV. PVTEANO, VRIENDTIO, SACCO; & legitur in hæc verba.

EDEI-

EDEICTOM.

QVEIQVEI NEIC ESTIS, NEIC ERITIS

EIGNOTOM VOLOVMVS

LEITTERAROM ANTEISTITEM
ET PATRES:

ZOILVM AC MOMVM,

Omnemque Pesteiferam atq; leteiferam

Illorom sequelam,

VIROS MAXVME ET SOMME PESSVMOS

Quos Ambeitio Leitterarom Preincipes fecerat,

Quos Meinerva Artes omnes edocouerat,

BONOROM CONTOVRBATORES

MA-

MALOROMQVE AMATORES;

COELO NEIC TERRA EINTERDEICERE

AD EINSOVLAS NOMQVAM FOVTOVRAS.

EOSQVE

ANTE DIEM III. EXCESSISSE,

NOMQVAM EDEICERE.

QVEI FECERINT:

SOVPREMA EIN EIIS POTESTAS ESTO.

DATOM,

EIN MOVSAROM REGIA

X. EID. APOLL. AN. IV.

ANTE ORBEM CONDITOM.

Impe-

Imperavit etiam Antistes quamprimùm per orbem hæc (ut anteà decretum) ad viarum compita promulgari. Tum finitis omnibus, denuò Antistes: NIHIL MORAMVR, inquit, ô LITTERARVM PATRES. Sicque surgens, subsequentibus singulis, exivit. Ego quoq; extra aulam commodum me inveniebã, ubi cum R. P. VINCENTIVM CLERICVM, famosum Divini verbi præconem, & R. P. FRANCISCVM CANISIVM genere nobilem ac piissimum virum conspicerem, quorum primus eosdem die mecum, alter paullò pòst in Sacrâ Dominicanâ Relligione nomen dedisset: ad eos gressum ducens, à somnio ad somnum redii.

FINIS.

LECTOR.

AD te redeo, tui meique caussa. Hæsurum te scio alicubi, non mea culpa. nam perperam aliqua posita aut omissa. Vt tibi mihique consulas: pauca

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag. 5. & 9. in capite paginæ, lege LITTERATORVM. Pag. 13. lin. 7. lege, *Vobis o MVSÆ. cura sit* &c. Pag. 33. lin. 17. lege, *ad fulgorem solis æmula*. Pag. 42. lin. 9. lege, *lumine utroque*. Pag. 53. lin. 25. lege, *eodem amore*. Pag. 67. lin. 25. *Æternet* reducatur ad novam lineam. Pag. 73. lin. 14. lege, *non à pecunia Virtutem nasci*. Pag. 75. lin. 5. lege, *curant*. Pag. 78. lin. 16. lege, *suspiciendos*. Pag. 105. lin. 23. lege, *cruciatu*. In quibusdam exemplaribus Pag. 115. lin. 1. corrige, *Cortracensis*. Pag. 118. lin. 7. lege, *Iuppiter es Phœbo* &c. Pag. 122. lin. 24. dele *&*, ac lege, *Est, est ut dico*. Pag. 123. lin. 21. lege, *capiebam*. Pag. 154. lin. 9. lege, *Auscultate*. Pag. 159. lin. 10. lege, *vires*.

Adde INSCRIPTIONES, non quo debebant charactere, aut spatii angustia, aut typorum inopia collocatas. ut etiam GRAECI TEXTVS hac de caussa omissi. ACCENTVVM itidem ratio, interdum aut non constat, aut in totum neglecta est. Vive felix.



